EDMUND DICKINSON

Phil. & Med. Reg.

DE

CHRYSOPOEIA

SIVE

De Quinteſſentia Philoſophorum,

Juxta Exemplar Oxonienſe

Editio hoc Exemplari longè caſtigatior.

Acceſſit ob argumenti analogiam

ANONYMI CHRISTIANI

DE

MEDICAMENTIS UNIVERSALIBUS

Diſſertatio.

ARGUMENTUM

De Chrysopœia in genere Dickinsoni sententia ad Mundanum.

Quæstiones propositæ Theodoro Mundano.

1. *Quid sit Mercurius Philosophorum?* 76.
2. *Quid sit Materia Lapidis Physici?* 80
3. *Quid sit Ignis secretus Philosophorum?* 81
4. *Quid sint Montes Philosophorum?* 84.
5. *Quid sit Mare Philosophorum?* 85.
6. *Quid sit Aqua Vitæ Philosophorum?* 87.
7. *Quid sit Diana Philosophorum?* 89.
8. *An Lapis s. Quintessentia Philosophorum humanâ disquisitione sciri atque parari possit.* 90.
9. *An Chemia possit suppeditare Medicinam Universalem?* 104.
10. *An Patriarchæ per istam Medicinam vitas suas produxerint?* 115.

THEODORI MUNDANI
Reſponſa.

1. *Ad Autoris Epiſtolam in genere.*
2. *De Materia Lapidis.* 139
3. *De Mercurio Philoſophorum.* 146
4. *De Philoſophorum Auro.* 151
5. *De Monte Philoſophorum.* 155
6. *De Philoſophorum Aqua Vitæ.* 157
7. *De Philoſophorum Diana.* 158
8. *De ſecreto Philoſophorum Igne.* 163
9. *De Medicamento Univerſali.* 174
10. *De Patriarcharum longævitate.* 177

EDMUND DICKINSON

Phil. & Med. Reg.

DE

CHRYSOPOEIA

SIVE

De Quinteſſentia Philoſophorum.

Literæ tuæ, Vir Inſigniſſime, quas nuper à manibus Ornatiſſimi Becketii ſaliente animo atque oculis avidiſſimis accepi, mirâ quadam voluptate me perfuderunt, utpote quæ certiorem me fecerunt de ſumma tùa in me amicitia, propitióque affectu erga Chemica mea ſtudia. Illa etenim me adhuc delectant maximè, longèque retrò ſic affecerunt, ut ab ineunte ætate laboribus atque vigiliis artus meos exercuerint.

Quippe ab ipſa adoleſcentia, vel à prima ſaltem inſtitutione Academica, (cùm tenella ratio ſemet erigere, atque lacertos ſuos vibrare cœperit) magnàm quandam opinionem concepi de Che-

miæ præcellentia. Quæ quamvis erat recens & inexperta conceptio, tam firmiter attamen iuhærebat animo meo (ſive eam cœli vires impreſſerant, ſive peculiaris aliquis Genius inſtillaverat) ut nullo contradicentis afflatu percelli unquam, vel eradicari potuerit; ſed inter inſigniores háſce Philoſophandi rationes, Veterem (cui primitùs obnixè ſtudui) & Novam (quam poſtea colui fidentiùs) ità creverit ac viguerit, ut nihil ipſâ prius, nihil verius, nihil excelſius exiſtimarem, nec ad fundandam ſtabiliendámque ſcientiam paratius: ùt quæ ſola claves poſſidet, quibus intima Naturæ penetralia (ſi quibus unquam) reſeranda ſunt.

Scriptoris Opinio de Chemiæ viribus.

Quod attinet ad metalla, putabam hanc Artem omnium maximè non modò ad eorum notitiam conducere, ſed & ad ipſa penitiùs emendanda breviſque perficienda ſufficere: & quò diutiùs aut Naturam ipſam contemplabar, aut optimos ea de re Scriptores evolvebam, eò altiùs in animo meo radices egit iſthæc opinio; præſertim cùm percepiſſem me cuncta illa argumenta, quibus oppugnari ſolet Chryſopœia, non difficulter dejicere poſſe; tam imbecilli tibicine fulciri videbantur.

Verùm autem multus iſte ſermo de me-

metallorum tranſmutatione, qui paſſim per tot ſecula percrebuit, ac etiamnum per gentes & regna volitat, mentem meam (fateor) haud aliter in admirationem rapuit, ac ſolent Hiſtoriæ quædam raræ atque mirabiles è regionibus longè diſſitis allatæ; quæ licèt à viris fide dignis adductæ ſint, ac ea tradant, quæ neque moribus illarum gentium, neque Naturæ legibus ullo modo repugnent, utcunque tamen, quia penitùs abhorreant à conſuetudine communis intellectûs, & nullo unquam tempore à nobis viſa fuerint, vix ullam fidem à curioſis hominibus obtineant niſi precariam, variiſque dubitationibus diſtractam, ac velut interpunctam. Nec potui ſanè quantacunque mihi fuerit opinio de iſta re, quin aliquoties animi penderem, donec illuſtris ea demonſtratio, quam Veſtra Excellentia biennio jam elapſo coram exhibuit, omnem anſam dubitandi mihi præcidiſſet.

Ejus dubitatio de tranſmutatione Metallorum per Mundanum ſublata.

Quamvis autem nobile illud experimentum de veritate Quinteſſentiæ, deque miranda ipſius potentia me certum reddidit, & omnes induſtriæ meæ nervos firmavit, eique magnos aculeos ſubjecit, nondum tamen potuit animum meum inducere, ut rem ipſam aggrediar. Non quòd operis impendia recuſem,

vel reſpuam tædia, vel pertimeſcam Draconem iſtum horrendum, qui cuſtodit aureum hemus Heſperidum; ſed quia nollem tam difficili perplexóque operi, tantâ curâ Philoſophorum, tantâque arte celato; (& in quo tot perſpicaces atque ſolertes homines fruſtra ſudârunt, atque non ſinè valetudinis ac famæ diſpendio nummos ſuos dilapidârunt) temerè me immiſcere, ac velut immergere, niſi priùs haberem ideam quandam totius operis in mente mea velut in ſpeculo mihi repræſentatam; hoc eſt, niſi priùs intelligerē quid eligendum, quid agendum, quid evitandum, quibus inſtrumentis utendum, quâque viâ ac methodo à principio ad finem uſque procedendum fuerit: In exemplum ducto Jaſone, prudentiſſimo rerum abſtruſarum indagatore, qui noluit iter inſtituere ad aureum Vellus acquirendum ſinè Medeæ præceptis ac monitis. Placuit Dominationi Veſtræ ſæpiùs aſſerere veritatem Magiſterii Philoſophici; ejúſque laudes fuſè, & (prout ſoles ſemper) eleganter enarrare. Placuit etiam claro experimento ante oculos facto animum meum ad opus accendere: atque etiam (quod majus eſt, & quod mentis igniculum veluti fufflabat) quæſtionum mearum ſolutiones (quantum liceret) promit-

Cur nondum ſuſceperit Opus Alchemicum.

mittere. Quocirca ſpero Veſtram Excellentiam moleſtias háſce, quas faceſſunt hodiernæ literæ, mihi condonaturam; atque pro maxima, quâ me hactenus proſequitur benevolentiâ, precibus meis ſatisfacturam eſſe. Quid verò potiùs optarem? quid expeterem vehementiùs, quàm ut à Te ſciam tum veram Lapidis veſtri materiam, tum operandi modum? ut ſi tuo hortatu ac tanquam celeuſmate navim ſolvam, à tuo etiam conſilio atque inſtitutione, quaſi clavum tenente, fœliciter ad optatum portum ferar.

Sed vereor, ne mihi reſpondeas, *Túne tredas me tanta tam parvi æſtimare, ut ea cuivis facilè fuſéque largiar? illúmne, cedò, non eſſe hominem abſurdum putes, qui, cùm verba honeſta diviti cuidam ſubmiſſè dederit, exinde protinùs expectat, ut honorificæ dictionis ergò ſe hæredem ſcriberet? inepta ſanè cogitatio!* Scio quidem, Vir Honoratiſſime, magnum eſſe, quod peto, imò certè maximum, fortè immenſum; verùm enim verò quicquid in iſto rogatu ſit petulantiæ, quicquid abſurditâtis, id omne benignitati tuæ, ſummæque erga me amicitiæ profeſſioni referendum eſt. Hoc etiam trahi poteſt in argumentum vel precis haud immodeſtæ, vel facilis veniæ, quòd hæreditatis atque pecuniarum largitionem, Secretique

Mundani reſponſio præoccupata.

Veſtri aurifici donationem magnum interſit. Illa nimirum beneficos exhaurit & exinanit; hæc autem nullo unquam damno, nullóve incommodo benè merentes afficiet. Scio etiam, quòd nec congruum erit, neque gratum benignitati tuæ ſcientiam hanc, quam probè ſcis humano generi valde proficuam, ſummĕque ſalutarem eſſe, (quámque ipſe calles excellenter) penitùs abſcondere. Nam bonitas, cui ſolet ancillari charitas, beneficâ ſemper voluntate cietur, & exire geſtit: atque ea veræ ſcientiæ natura ac indoles eſt, ut non ſecus ac lux ipſa, carceris ſui rimas ſcrutetur, & quærat diffundi. Quocirca non rarò miratus ſum, cur Ars iſta, quam *divinam* vocatis, & quâ nihil præſtantius, nihil efficacius eſſe poteſt, poſt longam ætatum ſeriem tam parum boni fecerit. Stupeo quidem, dum conſidero, quàm ingens eorum numerus ſit, qui grande illud Myſterium à priſcis uſque temporibus adepti ſunt (quorum multi procul dubio fuerunt viri probi & ingenui, atque aliàs cum privatæ tum publicæ rei ſatis ſtudioſi) cùm tamen nihil ferè patraverint, quod vel humani generis utilitati, vel patriæ ſuæ ſplendori, vel proprio commodo atque honori multum conduxerit.

Arcani philoſophici communicatio liberior eſſe debuit.

Pu-

..... *Pudet hæc opprobria* Doctis,
Et dici potuiſſe, & non potuiſſe refelli.

Id apprimè dolendum eſt, quòd in illis ipſis pyxidibus in quibus veſter Pulvis Chryſopœius, aut Univerſalis ea (de qua gloriamini) Medicina conſervatur, jure ac meritò poſſit inſcribi *Caſſianum* illud: *cui bono?* Immenſis ſanè bonis affluere, atque illis non uti vel in aliorum auxilium, vel ad Dei (imò vel ſuî) gloriam immane delictum eſt; & quod in virum ingenuum, ac φιλάνθρωπον vix cadat.

Sed vereor, Egregie Domine, ne forſan hæc moleſtè feras, & ſtomachere Philoſophorum cauſâ; nec dubito, quin hujúſce magnæ criminationis opprobrium magni timoris excuſatione deprecaturus ſis. *Túne*, inquies *O quæſitor arcanorum! túne erga Philoſophos tam iniquum te geras, ut eorum inhumanitati affingas, quod hominum nequitiæ atque violentiæ potiùs imputandum ſit? Ad magna ſemper aſpirant Philoſophi, & maxima charitatis atque munificentiæ ſuæ teſtimonia tùm publicè, tum privatim darent, modò id tutò fieri poſſit; ſed quî fiat? ſi quid magni molirentur, ſi quid eximii patrarent, & in Lapidis à ſe confecti ſuſpicionem venirent, quot illicò periculis ſe ob-* *Mundani reſponſum anticipatum.*

jicerent? Quis credat eum, quem vulgus ſcit immenſam auri copiam penès ſe habere, vel ſecum ſemper geſtare margaritas immenſæ magnitudinis, unquam ab impetu latronum, vel à nefariorum inſidiis aut calumniis ſecurum fore? niſi vel Lapidem ipſum confectum liberè diſpertiret, vel conficiendi rationem traderet, atque doceret? Hoc autem ſi fecerit, annon graviter eum peccare in Deum, in Philoſophos, in ipſam etiam Rempublicam cenſeas?

Oportet ut Hermetici Philoſophi ſint ſecreti.

Videor mihi tales audire querelas, támque graves expoſtulationes à Dominatione Tua redditas, quoniam à multis Hermeticis eaſdem planè factas lego. Nec ſinè omni fortè cauſa. Quippe quia non me latet, quanta illum maneant incommoda, quot ei impendeant infortunia, qui tam patulus eſt, támque rimamarum plenus, ut undique diffluat, pectus ſuum cuivis pandat, & grande illud Arcanum ſuâ futilitate in vulgus ſpargat: ideóque tantum abeſt, ut curam Philoſophorum hac in re ſanè magnam criminarer, ut eorum potiùs laudarem prudentiam; qui mirâ arte magnâque induſtriâ providerunt, ne ſecreta ſua materia, quæ ubique eſt, omnibus innoteſceret; ne Lapis iſte, quem tanti æſtimant Sapientes, in viis ac vicis à vulgi calcibus uſquam

uſquam proſterneretur ; atque ne ipſorum Diana, quæ caſta virgo eſt, nuda proſtitueretur, ità ut unuſquiſque gregarius ad eam adhinniat ; ipſámque pro ſua effrenata libidine protinùs inſiliat tanquam admiſſarius. Nihil eſt iſtâ occultatione laudabilius, aut quod Secretæ Philoſophiæ Proceres magis deceat. Illud interim cenſeo Philoſophis acriter exprobrandum eſſe, quòd omnis Scientiæ Phyſicæ lumen objectâ caligine non obfuſcare tantùm, ſed (quantum in ipſis eſt) obruere conentur ; & quòd Filios Artis, quos ipſi tanquam procos blandè per ſcripta ſua invitant, magniſque pollicitationibus alliciunt ; duris ſubinde metaphoris, aſperis allegoriis, inurbanis tropis, & horriſonâ neſcio quâ locutionum tortuoſarum barbarie tractant nequiter ; eóſque præ foribus ſtantes per ſua diſparata depellunt & abigunt. Hoc autem quid aliud eſt, quàm Dianã Veſtram Filiis Artis eodem tempore deſpondere, ſimul & perpetuæ virginitati damnare, detentâ veritate, cum qua tanquam nuptiali dote collocari debet ? Adeò ut non iniqua cenſeatur hæc noſtra querela de Philoſophis, qui, quicquid aut humanitatis erga ſtudioſos iſtius Scientiæ, aut charitatis erga deceptos præ ſe ferunt ; aut quicquid fi-

Sed non fraudulenti.

dei

dei pro arte illuſtranda promittunt, nihil minùs intendunt; quod cùm planè fateantur, tunc maximè ſunt ingenui.

Nec mendaces ac malitioſi.

Adhæc eo quoque nomine graviter increpandi ſunt nonnulli Scriptores Alchemici, quòd videntes atque ſcientes, ùt aiunt, ea quæ falſa ſunt, aſſerant; & quæ revera exiſtunt, audacter, ne dicam impudenter, refellunt. Nec unquam nos impenſiùs decipiunt atque ſeducunt, quàm cùm ſe luculenter enarraturos omnia polliceantur. Hæccíne Sacræ Philoſophiæ ſubtilitas eſt; telam texere, quæ cultores irretiat? hæccíne humanitas non modò non monſtrare viam, ſed errantem potiùs deditâ operâ, & tanquam per mercurialem digitum, ſeducere? Myſteria profano vulgo prodere nefas eſto: ſed veritati contradicere, quò minùs in animos hominum illaberetur; atque puriſſimæ Naturæ, ſive Quinteſſentiæ, rationem multò magis obſcuram reddere quàm Deus ipſam fecit, næ ego factum puto, quod non inter boni Philoſophi, nedum probi viri καλορθώματα cenſeri poſſit.

Neque ſuperſtitioſi.

Vehementer equidem doleo Philoſophis inuri poſſe tam infamem notam: ſed neſcio prorſus, an hæc crimina eorum timiditati vel invidiæ potiùs, an ſuperſtitioni ſint inferenda: ſuperſtitionem di-

dixi? rectè quidem. Nam iſta nimia Phyſici veſtri Myſterii (quod à vobis appellatur Cœleſte atque Divinum) celandi cura ac ceremonia, quid aliud eſt dicenda, quàm ſuperſtitio: quæ quidem fuſa per univerſam Alchemicorum gentem oppreſſit omnium ferè animos, atque eorum imbecillitatem occupavit. Quippe quia mentis inopis ac imbecillis eſt, eam Scientiam atque Artem, cujus materia res naturalis eſt, ac cujus omnes operationes (quæ ſunt, deſtillare, ſublimare, attenuare, purum ab impuro ſeparare, purúmque coquere, condenſare, atque tandem figere) nobis ab ipſa Natura quotidie præmonſtrari ſolent, eouſque divinam cenſere, ut non ab intellectu viri ſagacis & attenti, ſinè manifeſta revelatione Dei, comprehendi ſciríque poſſit.

Arcanum Hermeticum ſemper erit ſecretum.

Fateor autem me dudum atque libenter tranſiiſſe in eorum ſententiam, qui cùm putent omnem Naturam, tum præcipuè puriſſimam ipſius partem (Quinteſſentiam nempe veſtram, quam vocatis *Naturæ Margaritam*) Dei nutu atque providentiâ regi; atque divinitùs caveri, ne id in hominum nequam atque improborum manus incideret, quod non tantùm humano generi multùm prodeſſe, ſed & nocere multum poteſt.

Ali-

Aliter enim quî fieri potuit, ut res tam communis, tam vilis, atque paratu tam facilis (prout eam eſſe Hermetici dicunt) & quæ toties à ſedulis atque ſagacibus viris quæſita fuerit, tam rarò hactenus inventa ſit.

Certò quidem neceſſe eſt, ut illud magiſterium, cujus admirandæ virtutes cœli viribus ac influentiis vix cedunt; cujúſque divitiæ cunctas ubique terrarum gazas ſuperant, ad ſe potenter attraheret, non plebeiorum ſolummodò ſed etiam Magnatum Principúmque mentes ac deſideria; ut minimè dubitandum ſit, quin multi, nec unius ſortis homines, iſto dudum potiti fuiſſent, ſi id effectum dare vel manuum opera, vel ſubtilitas ingenii potuiſſet; vel ingens ſaltem nummorum pretium: adeò ut unuſquiſque pedarius facilè currat in eorum opinionem qui pronunciant hoc Elixyrium Dei donum eſſe, ac in illos ſolummodò conferri ſolere, quos *æquus amavit Jupiter.*

Eſt Dei donum.

Quocirca cùm priùs dixerim materiam Lapidis veſtri rem naturalem eſſe, eámque ferè ubique reperiri; facillimèque de natura ſua præparari poſſe, peto jam mihi hanc dari veniam, ut explicarem paulò fuſiùs, unde omnem difficultatem operis oriri cenſeam. Et quid hîc agat

agat Divinum numen, quibuſque modis influat in rem iſtam, quam opificis induſtria confectam dat. Conſtat herclè multa ſimul adeſſe debere tum ad inveniendam materiam Lapidis veſtri, tum ad eam parandam; unàque plura neceſſariò poſtulari, quæ reddant idoneum operatorem: nec pauca accidere poſſe, quæ ipſa inſtrumenta & vaſa ad hoc opus omninò requiſita deſtruant aut corrumpant. Quamvis etenim rem illam, quam ſapientes eligunt, omnes in univerſo concretæ naturæ, imò elementa omnia poſſideant; ea attamen in intimis eorum viſceribus ità latet, ut perpauci ſint, qui ipſam extricare valeant; utpote quam nullus Philoſophus adhuc clarè diſtinctèque deſcripſit, aut proliciendi modum planè docuit; multò minùs expreſſit *Ignem* iſtum *ſecretum*, quo præparari debet, poſtquam è centro rerum prolecta fuerit.

A nullo adhuc clarè & perfectè deſcriptum.

Qualem igitur hominem putemus tantæ indagationi parem fore? certè non niſi virum attentum atque ſagacem, ſubtilique ingenio præditum; nummiſque ad impenſa requiſitis abundantem; integrâ atque inviolatâ ſanitate vigentem; laboriſque ſummi atque indefeſſi, frequentiumque vigiliarum ſatis patientem; non otio, nec compotationibus, circumcel-

Idoneus Auditor ſecretæ Chymiæ quis.

cellionũm more, deditum: quem nulla negotia, quà publica quà privata, diſtrahant aut avocent; nulla infortunia deterreant: cui nec fœtor materiæ nauſeam; nec operis ſordes tædium creabit; cujus etiam nec imperitia materiam corrumpat; nec incuria (quod fit ſæpiſſimè) vitra diffringat. Sed quoniam innumera ferè momenta, quæ ſolent accidere, rem omnem perdant; licèt inſignes iſtæ qualitates ac dotes animi corporiſque feliciter in uno eodemque viro concurrerent, parum tamen ipſæ proficerent; ni ſimul inveniant indolem natalitiâ propenſione ad hæc ſtudia fortiter inclinatam, quæ laborantis induſtriam atque animum ſuſtentare valeat, alioquĩ ſæpe labaſcentem.

Opus Hermeticum multis pernitioſum.

Adhæc advertendum eſt, præter ea, quæ vel impediunt, vel corrumpunt opus, multa non rarò contingere, quæ operatorem ipſum deſtruant: námque legere eſt non paucos à malignis effluviis, quæ ſæpenumero ruptis vitris aùt præmaturiùs apertis exhalare ſolent, non ſolùm viſum atque alios ſenſus, ſed & vitam ipſam amiſiſſe. Alios etiam ſubitò conflagratis omnibus (nam ſulphur alchemicum pernix eſt, & impetuoſus ignis) incendio periiſſe. Adeò ut (quod ſæpiùs animo fingebam) non ineptè jam pro-

pronuntiare poſſim, Dianam veſtram eſſe pulcherrimam virginem, quam Summus ille rerum omnium Moderator juſſit ab hominum indignorum conſpectu ſemoveri, & unà cum ſuo incantato theſauro cuſtodiendam locari in arce quadam præcelſa atque edita, quam tot rupes & prærupta ſaxa, atque tam horrendæ ſpelunçæ, plenæ draconibus ignem efflantibus, undequaque circundant & vallant, ut vix credam *Solares Heroas*, multò minùs *Erraticos* neſcio quos Equites eam rapere ſinè venia cuſtodis, aut arcem ipſam expugnare poſſe. Non quòd opiner hanc arcem abſque Dei mandato nemini tradendam eſſe, nec à quopiam capi poſſe, niſi cui Divinum Numen hanc provinciam clarâ atque apertâ revelatione delegaverit (quod non pauci Scriptores Hermetici, non ſecùs ac ſi ipſi eſſent afflati, neceſſarium dicunt) ſed quia firmiter exiſtimo grande illud Arcanũ Divinæ benevolentiæ munus eſſe, & quod ſecretâ quâdam ratione, viiſque nobis incognitis, cui maximè voluit, impertire ſolet; dum vel ejus intellectum lucidiorem, atque ſenſus acutiores reddendo, vel omnes ejus cogitationes dirigendo, illum in abdita atque retruſa Naturæ conclavia ſecretò ferat; vel (quod frequentius eſt) alicujus Adepti benigni-

ta-

tatem ſuſcitando, viæ ducem ſubſtituat, qui ipſum peregrinantem in hac vaſta Chemiæ ſolitudine atque errantem, ad templum Sanctæ Sophiæ rectà perducat. Ut non verear dicere ſi Veſtrâ benignitate compos iſtius artis fiam, me etiam divinâ gratiâ factum eſſe Philoſophum: & licèt veſtro multum, plus attamen Cœli favori me debiturum.

Nec ullam adhuc rationem afferri video, cur ab ira Dei metuant Philoſophi, ſi grande illud myſterium cum uno vel altero, vel pluribus utique communicarent, modò illi (quod ſuum eſt) videant, ut probi, ſeduli, prudentéſque viri ſint, quos tam immenſi doni participes faciunt: de cætero non dubitandum, quin Divina Providentia ſit cauſtura, ne veſter Lapis in notitiam indignorum hominum veniat; ſaltem ne in eorum uſum atque emolumentum cedat. Quæ, ſi placuerit, aut obfuſcando laborantis ingenium, vel ejus animum diſtrahendo, vel ſanitatem labefaciendo, vel minuendo curam atque diligentiam; vel patientiam frangendo, vel ipſum interpellando per negotia; vel per infortunia (quæ multipliciter accidant) opus ipſum perdendo; vanam atque irritam reddat omnem ejus ſcientiam. Ut minima vel nulla prorſus exiſtat ratio, cur veræ Alchemiæ periti tam ſo-

Non opus eſt ut id nam ſolicitè abſcondant Alchemiſtæ.

ſoliciti ſint de liberiore communicatione ſui Secreti, anxiis animis extimeſcentes, ne vel Arti ipſi, vel etiam virtuti atque induſtriæ, vel demum Reipublicæ magno detrimento fiat. Cùm reverâ tantum abſit, ut Phiſoſophi iſthæc incommoda meritò formidarent, ut omnia potiùs in contrarium ceſſura credant: nam tum Chemia, quæ jam contemptui habetur, magnam protinùs apud omnes æſtimationem ac gloriam ſibi compararet; Virtus, Induſtria, ac Charitas ingens inde ſubſidium conquireret; nec non ipſa Reſpublica, quæ ſecundas partes noſtri officii ſibi vendicat, maximas ex illa vires ac utilitates ſentiret, haurirétque.

Liberè communicari ſoleat in Ægypto.

Non latet, ut opinor, Veſtram Dominationem quàm frequens apud Ægyptios olim fuerit Chryſopœia, & quantum ex ea commodi tum privatim tum publicè cœperint. Apud quos non tantùm ſacerdotes, ſed & alii quàmplurimi privatæ ſortis homines hanc artem callebant; ipſâque prorſus ad res ſuas agendas, familiáſque liberè ſuſtentandas uſi ſunt; eámque idcirco filiis ſuis primogenitis, (ſi probi atque prudentes viri fuerint) tanquam lautum patrimonium, atque hæreditatem non facilè diripiendam legabant. Quin & Viri Civi-

les atque Policiti pro aris ac focis penatibúſque ſuis defendendis; hoſtibúſque Reipublicæ depellendis ad hanc Artem velut ad ærarium confugerunt. Adeò ut Romani, qui ſuo imperio ab iſta Arte metuebant, omnes eorum libros de Chryſopœia ſcriptos conquiſiverint, & undiquaque collectos, jubente *Diocletiano*, combuſſerint; ne deinceps ex illa Arte divitias accumularent; atque eâ confiſi res novas in Romanos iterùm molirentur.

Et aliis Regionibus.

Verùm non in *Ægypto* duntaxat, ubi multas ætates floruit Alchemia, ſed apud alias etiam Nationes, multi paſſim fuerunt, qui occultam hanc Scientiam tum ad proprias ſuas utilitates, tum ad publicas utique promovendas adhibebant. Eámque ſub ſilentii ſigillo licèt acceptam, unus alteri quaſi ſucceſſori ſuo dabat, haud ſecùs ac curſores olim in Lampadephoriis tedam ardentem, quam feſſi geſtabant, inſequenti tradere ſolent. Quod quidem non tantùm humaniter ab illis & ingenuè, ſed & juſtè factum eſt.

Ejus occultatio nimia vel fraudulenta deſcriptio peccat in Deum.

Nam ſi non reddere clàm depoſitum magnæ ſit injuſtitiæ, quantæ, precor, inhumanitatis erit, ſi Philoſophi præclaram hanc Artem, omnium utiliſſimam, & ſibi commiſſam non reſtituerent; at ipſam potiùs ob ſummam invidiam vel ma-

malitiam ſecum interire, atque ſepulchro tradi mallent: Quam ſi cum aliis candidè communicarent, eam ipſam Deo πάντων δοτῆρι ἔαων piè gratéque reſtituerent. Rem ſanè peſſimè ſecum reputarent Adepti, ſi iſtam Quinteſſentiam, quam nacti ſunt (ſive illam à Magiſtro gratis acceperunt, ſive per diligentem lectionem, profundámque meditationem, ſive per variam periclitationem, & experientiam conſecuti ſunt) non tanquam *Dei donum* ſuſpicerent; neque crederent tantum ſibi lumen cœlitùs immiſſum fuiſſe, non ut (ſicut lucerna ſub modio poſita) contegeretur, ſed ut aliis affulgeret, humanis neceſſitatibus inſerviret; eóque latiùs Excelſi Numinis honorem diffunderet ac celebraret; atque eâ ratione, quâ ſolùm poſſunt, Deo donum redderent. Quocirca ferè adducor, ut ſtatuam vehemens illud Elixyrii celandi ſtudium, quo flagrant Adepti, nefas ac impietatem eſſe; eò certè nequius, eóque magis expers omnis humanitatis eſſe conſtat, quòd illos irretire ſolet, ac in ruinam dare, quos ipſi priùs blandis invitationibus, piiſſimiſque promiſſis allexerant. Nam quorſum tendant dictæ laudes, quibus Adepti paſſim Chemiæ præcellentiam tam ſplendidè támque magnificè prædicant?

In Chemiæ ſtudioſos.

Quorſum orationes iſtæ paræneticæ, quæ tot Rhetoricæ floſculis, tótque Dialecticæ ſertis fores ac limen iſtius Artis adornant? Quorſum denique compta illa poëmata, quæ tanquam *Sirenes* ad littus veſtri *Oceani* (ſive humiditatis veſtræ ſecretæ) ſedent ac cantant, quàm ut ſtudioſorum mentes & affectus attrahant atque pelliciant? Eóſque ad ſervitia Chemicæ veſtræ Regiæ (nam ubi reſidet ſulgentiſſimus ille Rex veſter Alchemicus, id non ineptè dicitur Regia) promptè paratéque ſubeunda perſuadeant? At interim quò ſpectant iſta ænigmata, quæ atrium iſtius Regiæ tam obſcurum reddunt? Quò dubius iſte ſermonis ambitus & inverſio? Quò diſparata frequentia, dictionéſque (prout loquuntur Dialectici) contradictoriæ, quæ velutî quidam labyrinthus, vario atque diverſo locutionum flexu reflexúque ſenſus noſtros involvunt, nóſque tantùm, quantùm proceſſeramus, iterum revocant? Quò, inquam, ſpectant iſthæc omnia? Quò collineant? Niſi ut conclavis aditum omninò præcludant? Atque illis, quorum animos inflaverant magnâ ſpe, turpiter illudant? Hinc certè fit, ut Ars ipſa cenſeatur mera fabula, vel commentitia Chymæra; atque omnes de illa conſcripti libri à doctis pa-

In ipſam Chemiam.

ri-

riter indoctiſque repudientur, ac ſi *Illices* eſſent aut *Copæ*, quæ præ foribus ſtantes credulos & inexercitatos homines attrahunt, ac blandimentis ſuis allectant; & poſt ingentes ſumptus temporis atque nummorum, penuriæ, mœſtitiæ, atque ludibrio relinquunt. Eóque demùm res rediit, ut Alchemiſtarum vanitas & errores omnium ferè ſermonibus vapulent: hos rudiores homines ſugillant; docti atque politi redarguunt; horum miſerentur amici; comicíque eos irrident, & adunco naſo ſuſpendunt. Nec immeritò ſanè: nam quis unquam poëta fingendo exprimere potuit Syſiphum tanto atque tam vano conatu ſaxum ſemper relabens provolventem, quanto Alchemiæ ſtudioſos in Lapidem ſuum abuti conſtat? Quiſve Tantalum deſcribat ità pomis nunquam deguſtandis illuſum, ac deditum Hermeticæ Philoſophiæ deceptum videmus, qui aurea iſta mala Heſperidum tam inani deſiderio prenſat atque captat. *Unde maxima Chemiæ infamia.*

Sed quantacunque ſit obſcuritas in hac Arte, quàmque invidioſa cenſeatur; quotcunque etiam fuerint errores ac infortunia ſtudentium, nihilominùs ex iis quæ propriùs experimentis ipſe obſervavi, atque ob ea præcipuè, quæ vidi per Excellentiam Veſtram aliquoties acta,

neceſſe eſt ut arbitrer hanc Artem reliquas omnes longè poſt ſe relinquere: Quæ quidem ſi potis ſit iſtas res admirandas efficere, quas inter ejus vires ac facta ſæpiùs recenſuiſti (de quibus utique per Te non licet mihi dubitare) tanta ſanè dicenda erit ejus dignitas ac celſitudo, ut ſi mihi *Linguæ centum oráque centum fuerint*, & cuivis linguæ Siren aliqua inſederit; aut in unumquodque os (quod de Platone, dum parvulus eſſet, dictum fuit) apes ſuum mel deponerent, haud attamen aliquid excellentiâ Chemiæ dignum proferre, vel ejus vires ſat eleganter & elatè commemorare valerem. In cujus utique laudibus enarrandis optimi Oratores balbutient; & ipſa Rhetorica ſuam infantiam prodet.

Vera Chemiæ encomium.

Quocirca ne credas, obſecro, Vir Optime, me jam vellicaſſe Artem ipſam, ſed illos omninò qui peſſimè de ea meruerunt ſcriptis ſuis; qui ſive eam inſcitè tractaverint (ùt quàmplurimi) ſive tectè atque invidioſè, (ùt ferè omnes) eodem recidit; quoniam ab omnibus æquè Scriptoribus inſignes errores imbibunt, atque magna detrimenta capiunt illi,, qui huic Arti ſe addicunt, niſi priùs à peritis optimè moniti atque inſtructi fuerint. Nec utî ſpero, per illud quodcunque ſit, quod paulò acriùs in Scripto-

Scriptor petit ſe à Philoſophis excuſatum haberi.

ptores Alchemicos hactenùs à me dictum ſit, de ſumma veneratione, quâ proſequor Adeptæ Philoſophiæ Magiſtros, quidpiam hodie detractum cenſeas. Quorum quidem ſcientiam, ſapientiam, prudentiam atque pietatem maximè laudo, ſuſpicio, colo. Sed ſi *Chinenſes* (ùt fertur) ipſorum Deorum, quos colunt, idola flagris cædant, quoties aliquid malè geſtum fuerit; quidnî ego Philoſophos etiam, quos veneror eximiè, leviter increparem, ſi quid egerint, quod tam Divinæ Scientiæ Magiſtros haudquaquam deceat.

Sed quod ad Scriptores hujus Artis atque Doctores attinet, ego revera judico frugi hominis atque prudentis eſſe, vel nullos ex eo genere libros, aut certè perpaucos emere. Quia multi libri, ſi boni ſint, atque rem eandem tractent, tempus; ſin mali, lectorem perdunt. Ut nequeam dubitare, quin mihi libros Hermeticos empturo ſimile conſilium daturus ſis, quale olim *Varro* prudenti patriſamiliâs, aut cuivis nundinas ituro dabat, ut emeret, non quod ~~opus~~ utile eſt, ſed quod neceſſe. Neceſſarii quidem ſunt tantùm pauci, qui rectam viam monſtrant; unus autem nimius eſt, ſi decipit atque ſeducit. Noſtrâ igitur magni intererit uti venatorum prudentiâ,

Nonniſi conſultò legendi vel emendi.

tiâ, qui, priuſquàm eant venatum, certò ſcire volunt, in quibus agris paſcuiſve Lepus ſtraverit ſuum cubile, ne ſecùs faciendo fruſtrà (quod ſæpe fit) multa camporum æquora tranſcurrant atque perequitent; multas etiam foſſas ac ſepimenta tranſiliant, magnáſque procellas & tempeſtates ſuſtineant, atque tandem laſſi & ſudore ſqualidi, ne caudâ quidem Leporis viſâ, multò minùs abſciſſâ, redeant.

Quòd ſi non doceant libri, quid veſter *Mercurius* ſit, quem *Leporem* vocatis, & ubi lateat, quid aliud agunt ſuis encomiis, quàm ut nos ad *anſerinam* quandam *venationem*, quã dicimus anglicè *a Wildegoos-chaſe* tanquam inflatâ buccinâ provocent. Si quos videas aliquando vel in arenas Tagi vel Pactoli, qui fluvius eſt *Chryſorrhoas*) inquirere, eáſque diligenter exagitare, ac ſurſum atque deorſum vertere, ut auri micas hîc illîc ſparſas colligant; eos certè nec homines ſtolidos nec imprudentes omninò putes. Sed in luto Sequanæ, Nili, Thamaſis, atque aliorum multorum fluviorum, quibus auri nihil ineſt, volutari, & in ipſis hebeti roſtro ſcrutari aurum, certè id eſt, quod *ſuem* magis deceat, quàm *Minervam*; & *ſimarium* potiùs, quàm *Philoſophum*.

Hoc

Hoc ipſum tamen vereor, ne multi faciant, qui, quicquid eſt uſpiam ſcripti de Quinteſſentia veſtra, temerè conquirunt, diu noctúque volvunt atque pervolvunt, ut ità veritatem, quam nec viſam ſciunt, actutùm videant: multò paratiores ad Authorum falſas opiniones ac fraudes imbibendas, quàm ſciendas; cùm penitùs ignorent, quis multi ſit æſtimandus, niſi quem magno emunt. Simili, ni fallor, ratione paucis abhinc menſibus uſi ſunt duo Barones Philoſophi, qui manuſcriptum quoddam valde carioſum ac ſitu horridum (& quod olim Veſtra Excellentia, ſi benè memini, fallax ac fraudulentum vocavit) tantô mercati ſunt, ut, qui pretium enumerari audiebant, fundum venire crederent. Adeò imprudentes ſunt, ne dicam, fatui, qui in libris Alchemiſtarum vel comparandis, aurum, vel perlegendis operam diſperdunt, antequam didiciſſent ab expertis, quoſnam certò pro veris atque probatis habeant. Infinitus eſt eorum numerus ferè, qui de Phyſico Lapide ſcripſerunt, quorum multi ne umbram quidem ejus viderunt unquam, & an *albus atérve ſit*, planè neſciunt. De quibus *Ripleus* Philoſophus *Anglus* vernaculè ſic ludit.

Quos magno emere maxima plerumque ſtultitia eſt.

Ma-

Many man ſpeaketh vvith vvondreng
Of Robin Hode and of his Bovv
Which never shot therein I trovv.

Alii verò quàmplurimi Lapidis iſtius ſecreta noverunt optimè; atque ea verè literis mandârunt; at tam parcè, tàmque invidioſè, ut commentationibus ſuis haud meliùs, quàm *Phytagoras* ſilentio ſuo, nos inſtruant.

Uſque adeò ut, qui Chemiæ navat operam, mihi videatur inter Scyllam atque Charybdim jactari dubius atque ſuſpenſus, an ab iſtorum ignorantia, an ab horum verſutia atque obſcuritate jacturam faciet; à qua tamen haud immeritò metuat, ne utrinque veniat, niſi præſtò fuerit peritus aliquis nauclerus, qui tam difficilem curſum dirigat; qui veros ſcriptores illuſtrare, falſos autem repudiare ſciens poſſit. Nam de perito Artifice, niſi peritus ipſe fuerit, nemo dijudicet, ille autem facillimè: Sic quænam ſit effigies à *Raphaëlis* aut *Titiani* penicillo concinnata, boni pictores ſtatim vident: & in eo genere exercitati primo inflatu tibicinis *Antiopam* eſſe aiunt aut *Andromacham*. Eodémque planè modo candidos atque veros ſcriptores de Chryſopœia primo aſpectu ſciat Adeptus, qui verum atque falſum ſolus

De vero ſcriptore Philoſophus ſolus dijudicare poteſt.

ſolus internoſcat. Cùm verò ſponte ac de induſtria lateant illi, quos experientiæ felicitas Adeptos fecit, quò me vertam? quos implorem? ad quem ſupplex accedam, niſi ad Excellentiſſimum Mundanum, expertiſſimum atque amiciſſimum virum? ut ſuo nimirum conſilio, tum ab imperitia ſophiſtarum, tanquam à Capharea rupe; tum à Sapientum multitudine, tanquam ab ærumnoſo ſalo me liberet: hoc unicè & obnixè rogans, ut paucos è probatiſſimis ac candidiſſimis Authoribus ſeligat, quos ab ipſo commendatiſſimos habeam; ne forſan aliter coëmenda repudiarem, atque dediſcenda diſcerem.

Scriptoris judicium de Lullio.

Lullium ſanè doctum virum atque expertiſſimum Alchemiſtam (quem eo nomine mihi olim veſtræ laudes fuſiſſimè commendabant) in manus meas tandem accepi, ſed ipſum intellectu deprehendere nequaquam potui: legi tamen atque relegi; ſed iterum atque iterum abjeci, veritus herclè, ne, ſi diutiùs in ejus libris inerrans vagarem, cerebrum meum in Philoſophorum Lapidem impingerem: adeò difficilis eſt atque caliginoſus ille ſcriptor: cujus auditor, opus habet Oedipo; ejúſque lector, Ariſtarcho. Nam libris ejus omnibus ferè perdenſas offundit tenebras non ſolùm magna

gna ſenſûs ac intentionis obſcuritas, ſed & dictionum barbaries. Licèt hoc ultimum facilè credam non ipſi Authori, ſed vel malè feriatis amanuenſibus, aut imperitis interpretibus aſcribendum eſſe.

De Riplæo. Riplæus autem noſter, etiamſi paulò dilucidiùs ſcripſerit, obſcurè tamen; & non ſecùs ac piſcis iſte, quem *ſepiam* vocant, ſuo ſe abſcondit atramento.

De Philalethæ. Arbitror autem neminem huc uſque ſubtiliùs atque verſutiùs impoſuiſſe lectori ſuo quàm celeberrimus & expertiſſimus ille præſentis ſeculi Philoſophus Anglus, qui *Philalethis* nomen induit; ille enim cùm Riplæi atque Raimundi Diſcipulus fuerit, atque eandem quam illi materiam (nempe duo extrema & utrumque conjungens medium) ad ſuum opus adhibuerit, res attamen ſiccas atque fictitias in ſcenam induxit; quas ità perſonas ſuas agere docuit, atque omnia tam exactè quadrare fecit, ut ſi quis ἀμυητὸς intraret theatrum iſtius libri, non fabulam ſibi dari, ſed hiſtoriam crederet: tam callidè & occultè ſe inſinuant omnia. Nihilominùs haud parum debemus ingenuo candori ſubtilis iſtius Adepti, quòd palam fatetur ſcripta ſua, quæ planiſſima videntur, omnium obſcuriſſima eſſe; atque citiùs incautos homines in errorem ducere, quàm

quàm alia, quæ extant omnia : Sed an gratiæ referendæ ſint illius humanitati, ſummæve miſericordiæ, quâ occurrit errantibus Alchemiſtis ; eóſque per vaſtam Chemiæ ſolitudinem rectà ad Sanctæ Sophiæ arcem ducere ſe promittit, ex ipſa via, quam monſtravit, facilè dijudicandum. En ejus apertam, brevem, atque rectam ſemitam! *accipe id quod nondum eſt perfectum, ſed quod tendit ad perfectionem, & fac ex eo rem nobiliſſimam perfectiſſimámque.* Quo nihil unquam dilucidiùs eſſe dictum ſeriò affirmat, nec apertiùs à quopiam dici poſſe ob metum *anathematis*. Ex hoc velutipede ſciamus, quantum à Philoſophis, & quàm Herculeum ad ſtudia noſtra promovenda ſit expectandum auxilium.

Nec plus lucis afferunt ad rem illuſtrandam cæteri Scriptores Alchemici. Qui quidem omnes ferè per ſuos tropos, metaphoras, allegorias, ænigmata, dictionéſque barbaras atque fictitias, horrendâ caligine libros ſuos involverunt : ea enim tanta eſt, ut nulla intellectûs acies ipſos penetret. Cimmeriis certè, quibus aſpectum ſolis, loci, quem incolunt, ſitus ademit, ignes tamen adſunt, quo illis uti lumine ſemper licet. Hi verò Scriptores tantas libris ſuis offuderunt tenebras, ut ne ſcintillam quidem

Et de aliis.

dem ullam nobis ad intelligendum reliquiſſe videantur; eodémque planè modo lectoribus ſuis illudere, quo ſolent venatoribus iſtæ beſtiæ quas Indi----vocant, quibus iſte mos ac dolus eſt, immanem quandam pulveris quaſi nubem pedibus ſuis excitare, ut perſequentium oculos occæcare, eóque tutiùs aufugere poſſint. Reverà cum cunctis iſtius ſectæ Philoſophis ità comparatum eſt, ut, quò manifeſtiùs expoſuiſſe Magiſterii ſui confectionem putantur, eò graviùs ſuæ Doctrinæ filios ludant atque decipiant.

Scriptorum Alchemicorum Libri quomodo legendi.

Hæc autem cùm ità ſe habeant, amabo te, quid faciam? nullóſne legam? imò, inquies, quàmplurimos: & videor mihi jam nunc audire tale reſponſum à Te redditum. *Secretiorem nempe Philoſophiam non tam legendam eſſe, quàm expiſcandam; quia Philoſophi non ſcribunt illis, qui Chemicos libros, ut canes aquam Nili, lambunt tantùm & recedunt; aut qui tranſcurrunt leviter, tanquam deſultorii; ſed illis omninò, qui ſingula verborum momenta penſiculatiùs examinare, atque omnes ambitus orationis circuitúſque perpendere ſolent: qui librum libro, locum loco conferunt; iterum atque iterum cuncta relegentes; ità ut poſtridie clariùs advertant; quod pridie non obſervaverant, intelle-*

tellexerántve. Nam ſcripta Sapientum, non ſecùs ac ubera lac præbent eò copioſius, quò frequentiùs ſuguntur. Adhæc illud apprimè notandum eſſe Philoſophorum verba (quamvis ea plana videantur atque familiaria) quoties illi ſecretam ſuam materiam tangunt, vel rationem magiſterii ſui conficiendi quoquo modo tradunt, eſſe valde ambigua atque fallaciſſima; atque idcirco tunc curioſiùs obſervanda; & non populari trutinâ (quod ſemper fit ab imperitis) ſed Aurificum, ſcilicet Alchemiſtarum, *ſtaterâ ponderanda eſſe.*

Eorum narrationes ſimiles vitris obſidianis.

Libenter agnoſco, Vir honorificâ præfatione ſemper appellande, Philoſophorum verba, quæ ad rem ſecretam pertinent, aut eam quacunque notant, eſſe perobſcura atque larvata; & intùs habere quid diverſum ab eo quod præ ſe ferunt. Quod ſanè ſtudioſis id incommodi ac difficultatis affert, ut viâ quadam diſcendi perverſâ atque præpoſterâ, priùs mentes eorum ſcire oporteat, quàm verba intelligere. Quid verò iſtis *Ænigmatiſtinubivagis* (ignoſcas, quæſo, verbo fictitio quidem, ſed accommodato) in mente fuerit, pauciſſimi adhuc ſunt, qui vel legendo ſcire, vel augurari conjecturâ ſuâ poſſunt. Hi tamen, (acuto ac ſubdolo prout

ſunt

ſunt ingenio) dum tractant materiam modúmve Quinteſſentiæ ſuæ parandæ, ſic cum veris fictitia, cum ſimplicibus conjuncta contexunt; cum dilucidis obſcura; & cum congruentibus incommoda tantâ arte commiſcent; corpora cum ſpiritibus, atque liquida cum ſiccis eo ingenio confundunt; imò tum nomina, tum res ipſas tam vafrè commutant; nec non operandi modum atque ordinem tam præpoſterè támque perverſè transferunt; affirmant tam callidè, atque tam verſutè negant; ut non deſint multi, qui tales dolos malos, tantas inſidias atque fallacias, & tam occultas machinas atque tenticulas haud ſentiunt, at vel ex ipſis hiſce diſparatis, hiſque contortis atque flexiloquis vocibus aptas & cohærentes, ùt credunt, notiones (ſinguli fortè ſingulas) excudunt; ipſiſſimámque veri ſpeciem ſibi fingunt. Horum enim mentes ſunt adeò *laſcivæ* atque revera παμφιλαὶ, ut obvias quaſque rerum formas, inprimis eas, quæ anteceptis ſuis opinionibus arrident, arctiùs amplecti, imò deperire ſoleant. Ut mihi benè liceat Philoſophorum libros aſſimilare *vitris obſidianis*, quæ quamvis *aterrima* fuerint, ſuam tamen cuique imaginem inſpicienti reddunt.

Quæ quamvis ſint perobſcuræ, ſuas cuique repræſentant conceptiones.

Hæc

Hæc dum commentor, non poſſum non miſereri eorum præproperæ ſagacitatis, qui falſis veſtigiis odorantes diu ac ſeriò venantur non (utî putant) leporem, ſed vulpem aut Simiam; & (non ſecùs ac Ixion in fabulis) nubem pro Junone complectuntur. Nec poſſum non Chemiæ cauſâ vehementer iraſci, incendi, angi, quoniam Ars illa tum ob maximam Adeptorum invidiam, tum præ ſumma ſtudentium pravitate, vel ignorantiâ, vel infortuniis tam malè audit, ut ipſam, etiamſi præ cæteris æſtimandam, colendam, multiſque nominibus honorandam, in conviviis rodant, in plateis vellicent, ubique carpant: cur autem hoc, & à quibus fiat, quæſo ut audias. *Cur malè audiat Chemia.*

Multi homines profectò ſunt tam flexilis ingenii, fideique tam proſtitutæ lenociniis Alchemicis, ut, quicquid affirmativè de Chryſopœia à quopiam ſcriptore traditum ſit, actutùm credant; & temerè ſinè ulla inſtitutione phyſica ad grande opus ſe accingant; ſplendido furnorum apparatu ſuperbiant; multa utenſilia, magnúmque (ſi *Vulcano* placeat) operatorem conducant; nec non argenti mirâ arte parati, auríque obryzi copiam ſimul, & inanem ſpem maximo emant; qui, cùm ſe decipi, falli, capi *Ob Curioſorum quorundam credulitatem.*

videant, ne ſemet inſcitiæ vel temeritatis incuſent, quòd fidem vel magniloquo Sophiſtæ, vel nugivendulo cuidam ſcripto nimiam dederint, in Chemiam furiunt, & debacchantur; eámque maledictis impetunt.

Ob Doctorum quorundam incredulitatem, ſuperbiam atque deſidiam.

Alii porrò, quorum duræ membranæ nondum emollitæ ſunt *unguento* (ſi cum Riplæo loquar) *Alchemico*, cerebra habent tam rigida, támque obſtinatos animos, atque vanâ ſcientiæ opinione quaſi vento ſufflatos; ut ad Chemiam nullo modo flecti vel applicari poſſint. Qui quidem fortè magni fuiſſent Philoſophi ni ſe jamdudum maximos exiſtimaſſent: magis docti, ſi calluiſſent artem, quam profitentur; & magis ingenui, ſi non damnâſſent artem, quam penitùs ignorant. Hi ſanè non modò omnem Arti aurificæ fidem abrogant, ſed & in Chemiam univerſam perverſè clamitant ac latrant, haud ſecùs ac *canes* adverſus *lunam*, non aliâ de cauſa, quàm quòd ipſis *umbras* ſuas oſtendit, *ſuam* ſcilicet *ignorantiam*. At ſciant iſti *Sapientipotentes* (ut utar Enniano verbo) Jovem ipſum non potuiſſe Minervam, rerum nempe ſcientiam, è cerebro ſuo excludere, donec ei Vulcanus opem tuliſſet. Nec illi profectò, niſi *Chemicum ignem* (qui priſcæ Philoſophiæ myſtagogis erat

Vul-

Vulcanus) in auxilium vocent, unquam rectè de conſtitutione rerum concipient, aut quid eximii producent.

Adhæc exiſtit aliud hominum genus, indoctum omninò, ac de fæce plebis; qui ſuis ſuperlatis verbis ac laudibus Arti Chemicæ multò majorem infamiæ notam inurunt, quàm quibus alii petulanter in eam volitant ac invehuntur. Hi prorſus ut habeant, unde victitent, & populi famam atque benevolentiam ſibi concilient, in Chemiam ſe inferunt, imò intrudunt; atque non aliter ac ſi ſomniâſſent in *bicipite colle Philoſophorum* (nam Philoſophi quoque ſuum habent collem bicipitem,) magni Chemiſtæ repentè fiunt. Eſt avis quædam *Taurus* dicta, quæ quamvis perpuſilla ſit, tam gravem ſonum edit, ut *bovis mugitum* ſimulet: non abſimiles mihi videntur hi *monogrammi Chemiſtæ*, qui, quanquàm ne micam quidem habeant Scientiæ vel Artis, nihil tamen præter Eſſentias & Elixyria, atque ſua miracula Chemica prædicant; imò etiam ob ipſum Aurum potabile ſeſe venditant. Cùm tamen ipſi in cauponula neſcio qua triobolari, in qua creditur, zythum bibunt; & (ut ait *Ennius* acutè) *quibus divitias pollicentur, ab iis drachmam ipſi petunt.* Horum ſanè vultus diſcolores, anheli-

Ob Indoctorum jactantiam & inanem oſtentationem.

tus fœtidos, inquinatas manus, oculos partim lippos, partim erutos, crumenas exinanitas, atque veſtes demùm laceras & pannoſas dum populares atque vicini frequenter vident, promiſſorum verò fidem violatam eſſe ſemper obſervant, non mirum eſt ſi eos opprobiis inſectentur, Artemque ipſam convitiis onerent.

Hinc, hinc omnes iſtæ aculeatæ jocationes & acerbiſſimæ contumeliæ, quibus indies ac ubique ferè pungitur atque ſtimulatur Chemia. Sed ut dicam, quod ſentio, quantacunque ſit ea labes, quæ ex hiſce probris Artis iſtius dignitati aſpergitur; tota ſanè Scriptoribus, qui Alchemiæ ſecreta tractârunt, tanquam primis authoribus eſt referenda. Illi enim, quia confectionem Lapidis Phyſici perfacilem eſſe ſtatuunt, & in ea docenda fucatam neſcio quam benè notorum atque clarorum verborum ſpeciem prætendunt; & per vanam candoris atque benevolentiæ profeſſionem in animos imperitorum penitùs influunt, multos paſſim doctos ſimul & indoctos homines ad Chemiæ labores & impendia pelliciunt; eóſque in immenſos errores inducunt; qui, cùm ſe deceptos eſſe videant, inimiciſſimi tandem fiunt.

Et ab Adeptorum ſubdolam profeſſionem.

Adeò ut magni intereſſet Alchemiæ, ſi Philoſophi nihil omninò ſcripſiſſent, at

at grande illud Arcanum (cui obſcurando quiſque pro virili ſtuduit) verè atque perſpicuè, non calamo, ſed ore tantùm ſelectis quibuſdam viris expoſuiſſent: ità namque Diva Chemia neque per egeſtatem, neque turpitudinem vel ignorantiam, vel errores atque fallacias cultorum ſuorum maculas infamiæ contraxiſſet; neque Philoſophi de ſe, vel de ſecretis ſuis unquam meritò timuiſſent. Hoc autem à prudentioribus Adeptis ab omni antiquitate factitatum eſt; & poſthac, utî ſpero, frequentiùs fiet. Ut veræ Scientiæ cultores (libris omnibus Alchemicis à blattis aut carie tandem conſumptis) haud diutiùs à vafris aut pravis hiſce ductoribus acti deerrent; aliqui tamen extent deinceps, qui Scientiam hanc tanquam lampada tradant, ne poſt unam ætatem omninò corruat.

Melius æſtimationi Chemiæ conſulitur per traditionem quàm per ſcripturam.

Ex ore quidem tuo didici, Vir Inſigniſſime, Teipſum, (quo certè neque ſagaciorem virum, nec acutiore unquam mente præditum novi) Quinteſſentiæ rationem, quam multos annos & per labores immenſos ac ferè perpetuos indagaveras, haud attingere potuiſſe, donec eam per favorem nobiliſſimi benigniſſimique cujuſdam Magiſtri conſecutus fueras. Quod ipſum quoque Lullio, vi-

Ne milleſimus Adeptorum talis evaſit ſola meditatione atque experientiâ.

ro ſubtiliſſimi ingenii, multiſque aliis majorum gentium Alchemiſtis eveniſſe literis atque memoriæ proditum eſt: ut parum abſit, quin credam ne milleſimum quidem Philoſophorum Adeptorum fuiſſe, qui illam propriis ſtudiis, aut diuturnâ meditatione, vel longo rerum uſu atque experientiâ ſuâ perveſtigaverit.

Quorſum igitur omnis noſtra induſtria? unde nobis affulgeat ſpes ulla? dicam ſanè paucis. Memini me legiſſe de vetere quodam *Romano*, qui, quamvis imbellis erat, ac enervatus homuncio, caput ſuum nihilominùs ſuperbè attollere; lacertos ſuos vibrare; paleſtricè ſpatiari; ac cuivis certamini parem ſe venditare ſolebat, non aliam ob fidem, quàm quòd multos ſervos, ſtrenuos atque robuſtos athletas, domi aleret. Quòd ſi vicariæ vires ità transferri poſſint, & ſervorum robur valeat in ſuum nanum ac imbecillem Dominum tantos animos inflare; quidni ego, qui tam benignum habeo tamque potentem Patronum, magna quoque ſpirarem, atque fidenter ſperarem. Non exiguæ quidem facultates inſtillari mihi videntur, nec inanis fiducia creari per ſummam tuam benevolentiam, fidamque promiſſionem: quâ cùm niti atque magnopere confidere poſſim, non leve mihi futurum eſt incitamentum, ut

Peritus Præceptor eſt neceſſarius.

ut aliquando forſan inſtituam longum, difficile, atque ignotum illud iter, quod ducit ad Heſperidas. Sed priùs exorandus es, ut mihi non modò monſtres oram, in quam tendere debeo (prout ſolet mercurialis index in quadriviis) ſed etiam, ut, ſi quæ ſint in iſta regione diverticula vel avia, quæ ſeducant viatorem Philoſophicum, vel compita, quæ diſtrahant, ipſe quaſi prævius oſtendas. Cippus.

Hîc igitur, ut ad id, quod hujus Epiſtolæ mens eſt ac deſiderium, jam tandem deveniam, obſecro te, Clariſſime Vir, ut mihi hanc des veniam non modò ut proponam quæſtiones aliquot, quarum ſolutio ad operis Hermetici cognitionem faciat, ſed inſuper, ut conceptam jam diu de Materia Phyſica ſententiam meam proferam; atque totius operis ideam, quam animo meo impreſſit multa lectio, in hac charta tanquam in pictoria quadam tabula, quâ poſſim, molliùs atque minutiùs adumbrem. Eo nimirum conſilio, ut Veſtrum penicillum, quicquid eſt alienum & diſſimile, deleat; & quod rude ac impolitum eſt, tactu delicatiore venuſtum reddat. Atque ità partim tuis elucidationibus, ac partim lituris, tanquam luminis & umbrarum temperatione, talem in mente mea concines imaginem, quæ *pulchram veſtram*

Dianam planè perfectèque referat. Hoc eſt, id obnixè peto, ut non modò conceptionum mearum caſtigatione, ſed & explicatione Naturæ præſtes, ut eorum omnium, quæ ſub nomine *Diana veſtra* lateant, (ſive ſit *Luna* veſtta, ſive *Mercurius*, ſive *veſtra Aqua Vita*, vel *Quinteſſentia*) cognitionem habeam.

Recurritur ad originem rerum omnium ut ſciatur Mercurii generalis natura.

Vereor autem, ne quàm citriſſimè ſatieris faſtidio rationum mearum, quæ retrò recurrentes ab ipſa rerum omnium origine fundamenta Sapientiæ Hermeticæ, communem ſcilicet ac univerſam Sulphuris atque Mercurii naturam, diffuſamque poteſtatem deducunt. Hoc tamen apprimè factu neceſſarium duxi, atque nunc effectum dare ad hunc modum conor.

Mundi materia prima Quid?

Deus Univerſi materiam ex nihilo repentè fecit. Hanc autem materiam non ſolùm Hebræi, Phœnices, Ægyptiique, ſed etiam Græci vetuſtiſſimi vocabant *Aquas*: Eóque nomine immenſam particularum omnigenarum atque laxarum congeriem notabant, prout alibi fuſiùs & explicatiùs à me dictum eſt. Stupenda ſanè fuit ea minutiarum moles, at valde confuſa, nec non ad inſtar limi ſtagnantis immota, donec eam maximus Univerſi conditor ac ſator Deus ſpiritu ſuo movit; hoc eſt moveri atque penitùs agitari juſſit. Tunc

Tunc primùm Natura ſpirare cœpit, atque ſe erigere. Quippe quia per iſtam motionem vis ea, quam *Naturam* vocamus, univerſæ materiæ fuit donata atque inſita. Nec aliquid majus intelligi per Naturæ vocabulum rectè poteſt; quandoquidem motus iſte, (quem θεῖος λόγος impreſſit creatæ materiæ) prout hodie cunctas res naturales (donec impleant * fatalem ſuam ſortem) conſervat, omneſque generationes in mundo continuat, ità ipſas efficere principio poterat: at eâ tamen aſtrictâ præfinitâque ratione, quæ deinceps explicatiùs enarratur. Certè quidem licèt hæc commota materia neſciat, quid agat, tam variis attamen atque tam mirandis modis omnia diſponit ac ordinat; tantâque ratione (leges ipſi à Divina Sapientia impoſitas obſervans) res Univerſi gerit, ut cuncta ſcire, cuncta intelligere videatur. Ità nihilominùs, ut, quicquid unquam à motu fieri putemus, ab ipſo Deo factum fuiſſe credendum ſit. *Natura quid?*

Hæc ità præfatus ne viderer admiranda Creationis opificia cæco motui referre, ſpero mihi veniam hanc datam fore, ut pauca modeſtè ſupponam, quæ neque temerè nec ineptè ſupponi poſſe reor.

Primò, per magnam iſtam Materiæ pri-

Materiæ primigeniæ motus circularis.

primigeniæ commotionem cunctas ejuſce particulas, haud ſolùm variè inter ſe, & circa ſuum cujuſque centrum; ſed & unà per gyrum circuitúmque latas fuiſſe. Quæ quidem opinio non modò cum ſententia vetuſtiſſimorum Philoſophorum congruens eſt, ſed & rectæ rationi conſentanea, quoniam ab initio talem motum ſubivit univerſus orbis, & huc uſque ſervat.

Particularum ſubtiliſſimarum ſive ſphæricarum ſeparatio.

Secundò, per circularem hanc totius Abyſſi motionem ſubtiliſſimas illicò particulas à craſſioribus ipſius ramentis ſegregatas fuiſſe. Ea etenim à primo Motore ſancita lex eſt, ut quicquid in gyrum vertitur, centrum ſui motûs, quantum in ipſo eſt, relinquat; idque promptiſſimè, quod eſt ſubtiliſſimum.

Unde Lux orta, & Ignis Elementalis.

Tertiò, ſubtiles iſtas actuoſáſque particulas, quàm primùm ſeparatæ fuerint, & ſui quaſi juris factæ, celeriore vegetioreque motione concitatas fuiſſe, atque eam protinùs actionem præſtitiſſe, quam *lucem* dicimus, eâ appellatione deſignantes vividum atque pernicem illum impulſum, quem ſubtiliſſimæ particulæ jugiter influentes in nervos opticos faciunt, quarum ictu ſic informantur oculi, ut lucentis ſimul & illuminati ſpecies animæ tranſmittant. Porrò minutulas ac agiles háſce particulas (quas Totius cir-

circuitione primùm ſegregatas fuiſſe conjeci, quaſque ſphæricas eſſe cenſeo) prout *lucis*, ità *ignis elementatis* quoque materiam fuiſſe, & immenſum hunc cœlum, quod nuncupatur *Empyræum*, condidiſſe.

Longularum ſeparatio.

Quartò, continuatâ gyratione materiæ chaoticæ, (nam id ipſum fuit, quod Græcè χαὸς dicitur) non potuiſſe non infinitum aliarum minutiarum mole atque figurâ diverſarum numerum à ſegniore materia ſecerni; earúmque maximam partem *longulas* eſſe, eáſque (propterea quòd unaquæque circa proprium centrum movetur) magnum ſpatium occupare; atque idcircò tenue ac rarum illud cœlum, quod *aëream ſydereámque regionem* comprehendit, conſtituiſſe; & id ipſum à doctis Interpretibus hiſtoriæ Moſaicæ, verè ſciteque dici *Expanſum*.

Unde Expanſum ſive Aer.

Quintò, reliqua deinde corpuſcula, quæ grandiora fuerunt, & ad concreſcendum procliviora, quàm citò pro lege motûs iſtius circularis (maximè cùm longularum particularum vis elaſtica deſcenſum juvaret) verſus centrum Mundi devoluta ſuiſſe. Nam quia craſſa fuerunt, & irregulares, incurvas ramoſáſve figuras habuerunt, facilè poſt varias obviam itiones concurſioneſque, ſimili ad ſimile ſe applicante, coibant; &

Craſſiorum particularum concentratio unde Terra.

& conjunctis lateribus aptis atque paribus, illicò concreſcebant. Ad iſtam verò compagem conficiendam non aliud gypſum cæmentúmve requirebatur, quàm ut ſimiles ſuperficiunculæ ſimilibus, planæ ſcilicet planis accederent, & ſe totas omninò tangerent; vel ut ſuis inter ſe ramis hamiſve præpeditæ quieſcerent.

Sextò, dum congrediebantur, atque in mutuos amplexus ruebant terreſtria corpuſcula, multas interea lævas atque rotundas particulas; quæ valde mobiles atque lubricæ fuerunt expreſſas emerſiſſe ad ſuperficiem uſque detruſas; ibíque magnas quaſdam foveas atque lacunas, quas inæqualis deſcenſus materiæ terrenæ fecerat, impleviſſe; atque inſuper (eò quòd teretes atque rotundæ fuerunt, & circa ſuum quæque centrum movebatur) *laxam* atque *fluidam naturam aquæ* conſtituiſſe; adeóque vaſtos aquarum campos, quos Maria dicimus effeciſſe.

Lævium particularum ſive globulorum expreſſio; unde Aqua & maria.

Septimò, factâ jam Terrâ atque irrigatâ, cuncta mox vegetantium ſemina in ipſa velut in apta matrice formata fuiſſe, ſapientiſſimi Dei pollice ficta. (Nam valdè abſurdum eſſet, & impium hanc rem aliter definire. Cùm nemo ſanæ mentis, ὃσ' ἐν ὀνείρῳ, concipiat admirandas háſce concretiones unquam potuiſſe vel motionis ingenio, vel

vel fortuito conventu particularum concinnari. Dei ſolius id opus erat; qui omnes particulas accerſiri, incongruas adaptari, atque ad elegantes háſce fabricas extruendas aptè compingi voluit.), Quoniam verò *ſemina* ſic compoſita atque fabricata fuerunt, ut quædam quaſi *compendia* plantarum, atque reverà plantæ exiſtant; jure ac meritò pronuntiandum erit, quamlibet herbam Deum authorem monſtrâſſe: quamvis adhuc deerat idoneus calor, qui ipſas intumeſcere atque germinare, ſuperficiemque terræ gratâ atque amœnâ viriditate conveſtire; nec non aliis florum fructuúmque coloribus eam ornare valeret. Quia nondum factus erat Sol, qui calore ſuo potente quidem, ſed temperato; quaſi molliſſimo incubatu vegetantes (ut ità dicam) pullos excluderet.

Quomodo Plantæ factæ ante ſolem?

Octavò, Mineralia atque Metalla, (quorum nulla mentio fit in creationis hiſtoria) non in exordio rerum facta, ſed poſt aliquot annos ſenſim atque pedetentim ſinè ullo ſemine (quicquid in cntrarium dicant Hermetici) ſolâ coitione materiæ congruentis atque paratæ à Natura conflata atque excuſa fuiſſe, modo poſthac enarrato. Horum tamen ortus & generatio calorem quoque fla-

Quomodo Mineralia fuerint generata.

flagitabat longè majorem quàm qui per actionem ſubtiliſſimarum *primi Diei particularum* procurari poterat, niſi magis conſertæ congregatæque fuiſſent. Nam licèt exiles ac agiles iſtæ minutiæ ab omni craſſa materia ſeparatæ lucem darent, & calorem pariter accendere per operoſam atque vegetam ſuam agilitatem aptæ natæ fuerint, nondum tamen excitare tantum poterant calorem, quantus ad mineralium fabricationem germinationémque plantarum, vel ad alias res agendas in mundo ſufficeret. Eò quòd nimis adhuc raræ fuerunt, atque minùs agitatæ motæque.

Creatio Solis.

Quocirca (quod proximè ſupponi debet) Maximus ille Mundi effector molitórque Deus immenſum harum ſubtilium particularum numerum in unum orbem cogebat, ut magnum atque potentem motionis & caloris Architectum exhiberet: *Sol is* eſt: igneum ſanè corpus; &, prout liquet per Helioſcopia, conglobatus quidam fluctuantis atque ſeſe convolventis flammæ cumulus.

Et Luna.

Poſtremò igitur (quod poſtulanti facilè donari poſſe puto) quoniam Solis ardor à ſua natura ſiccior erat atque vehementior, quàm qui benè conveniret rebus jam concretis, aut novis ſubinde concretionibus inſerviret, viſum fuiſ-

fuiſſe Omnipotenti (qui ad omnium rerum eſſentias efficiendas haud calidum ſolumodò, ſed humidum quoque neceſſarium eſſe voluit) innumeros ferè globulos aqueos (quæ læves erant particulæ) unàque particulas aliquot terreſtres (quæ fluitabant adhuc in expanſo) congregare, atque exinde *Lunarem Orbem* conficere; ut ejus humida effluvia vim igneam ſolarium particularum obtunderent atque temperarent, adeòque ad res ſuas obeundas in hoc terraqueo globo magis aptam & idoneam redderent. Deúmque terrena corpuſcula globulis aqueis (ut & aëreas quaſdam minutias ſimul involutas) ità imiſcuiſſe, ut *Lunarem humiditatem* non *ſimpliciter aqueam*, ſed unctuoſam faceret. Quod quidem pluſquam veriſimile eſſe patet ex eo, quòd aſpirationes Lunæ per ea vitra, quæ colligunt ejus radios, in liquorem pinguem redigi poſſint. *Luna corpus unctuoſum.*

His ità præmeditatis ac ſumptis, facilis ac apertus erit aditus ad ipſa incunabula generalis iſtius Mercurii; cujus humiditas ignea cunctas res gignit, auget atque conſervat. Cui pater Sol, atque Luna mater exiſtit. Iſtæ námque ſubtiles & igneæ particulæ ſimul atque congregatæ fuerunt; atque in unum or-

orbem redactæ Solem conflabant, mutuâ prorſus agitatione concurſioneque ſe laceſſebant; aliæ alias à ſe depellere nitentes. Hinc iſte jugis atque perennis exitus ſolarium particularum, qui ejus radios, quos vocant, nobis exhibet. Hi circumquaque per aëra diffuſi, partim directè partim reflexè (ab aliis planetis repercuſſi) ad terram appellunt, ejuſque profundiores partes ſubeunt, atque ſubtiliori cuidam materiæ terreſtri ſe adjungentes, varias rerum ſpecies gignunt. Qui verò à Lunari corpore ad terram reflectuntur unà ſecum deportant humidam atque unctuoſam naturam. Nam Luna maximam partem conſtat unctuoſâ humiditate: & ùt Solis effluvia gerunt vicem maſculi; ità exhalationes à Luna ſortem feminæ ſuſtinent. Horum autem amborum partes ſubtiliſſimæ in aëre conjunctæ conjugatæque producunt *Univerſalem* iſtum *Mercurium*, qui quicquid eſt, quod *Animæ Mundi* vel *Archæo*, vel neſcio cui *Colkodovv* tribui ſolet; id omne ſuâpte virtute conſumat. Ille in profundo minerales naturas excudit: Ille ſemina vegetantium concitat; atque ipſa vegetare, creſcere atque florere facit: Ille inſuper animalium fabricam ſtruit, adauget, conſervat atque reſtituit; & ſpiritus ipſos

• *Radii Solis quid?*

Lunæ effluvia humida & unctuoſa.

Mercurius univerſalis quid? & quanti?

ipſos condit, quibus admirandum illud αὐτόματον excitetur ac moveatur. Ille rerum omnium viſcera blando ſuo calore fovet, atque ipſa perfundit humiditate pingui atque ſtabili, ſinè quibus eſſe non poſſunt. Ille demum tam Artis quàm Naturæ myſteria concinnat. Quid non? omnia profectò tanquam *magnus* quidam *Ardelio*, vel πλυταράγων *generalis* efficit atque patrat. Et quod ſummum, atque admiratione digniſſimum eſt, *unicuique rei tribuit* has *eximias dotes*. 1mo. Naturæ cœleſti cognatam eſſe. 2do. In ſe habere puriſſimam quandam eſſentiam, ſive tincturam, tum rubram tum albam, ſcilicet *aurum* atque *argentum veſtrum*: 3tio. Intra viſcera ſua quandam quaſi *clavem* continere, quâ perfectè (licèt ea duriſſima ſit & compactiſſima) reſerari atque recludi poſſit. *Unius cujuſque rei dotes.*

Solis interim radii, qui directè (non autem ſinè aliqua portione Mercurii, quam rapiunt ex aëre) ad terrarum orbem veniunt, haud ſolùm perfectiorem modo digerunt & attenuant iſtam materiam copulatam, quæ priùs in terram delapſa fuerat, ſed & quaſdam terræ particulas ità agitant, transferunt, ſubigunt atque miſcent, ut novas ſubinde concretiones purioreſque producant, *Merc. univerſ. in Terra ſpecificatur per directos radios ſolis.*

quæ tanquam matrices aptæ ſeminalem iſtam materiam, ſive Mercurium cœleſtem recipiant. Quippe cùm particulæ ſolares unà cum lunaribus in terram diu noctúque jugiter influant, ac unæ alias enixè propellant, neceſſe eſt, ut maxima earum copia in profundo terræ congregata ſit atque congeſta: quæ cùm ob mutuam in ſeipſas agitationem actionémque vehementem æſtum concipiant, quendam quaſi *terreſtrem ſolem* fingunt, qui non ſecùs ac cœleſtis ille, ſuos circumcirca radios ac halitus diffundit; hnmidiores autem ſolaribus, & unctuoſiores; adeóque ad terraquea concreta, tam vegetantia atque animalia, quàm mineralia formanda magis aptos.

Sol terreſtris.

Verùm ~~autem~~ mercuriales hi vapores, quos emittit infernus iſte calor, haud omnes ſubſiſtunt intra cancellos terræ, atque ibidem duntaxat res ſuas agunt; at multi prorſus emigrant atque evolant in aëris regionem. Horum alii per *aëreas ſcalas* (nam tales in animo meo finxi particularum aërearum figuras atque motum eſſe, ut aſcenſuro vapori præbeant quaſdam quaſi *ſcalas verſatiles*) aſcendunt ad ipſum ſolem, ut ejus impendia quotidiana pro ſua portione reſarciant: alii verò per occurſiones ſolarium lunariúmque particularum;

Mercurius quomodo fit perfectior?

rum; novásque ſubinde coitiones in aëre, multò graviores facti, rurſus in terram decidunt: ità ut mercurialis iſta materia per circuitus hóſce, non augeſcat tantùm, ſed & longè ſubtilior atque perfectior evadat.

Hinc igitur conſtat totam hanc, quam intuemur regionem aëris eſſe *Templum Dei*, in quo cœli ac terræ aſpirationes ſua *conjugia* celebrant. In illa etenim, lumen ſive cœleſtis ille ignis, qui totius Univerſi maſcula vis eſt, cum aqueis halitibus ex terra profectis congreditur; arctéque ad oleoſam ipſius humiditatem ſe jungit. *Aer Templum Dei.*

Hinc itidem liquet, ſupera (quod celebre eſt *Hermetis* effatum) *inferis eſſe ſimilia*; & pro cognatione materiæ magnam eſſe affinitatem inter omnia. Quinimò certum eſt per continuos halituum deſcenſus aſcenſúſque, proùt etiam per frequentes omnium particularum coitiones & conventus; earúmque mutuas actiones fieri atque ſtabiliri in Univerſitate quoddam quaſi commercium, quo concreta fluidis, inanimatis ſenſilia, cœleſtibúſque terreſtria quodammodo ſuccurrant; & quæ viciſſim mutuantur, denuò rependant. *Magna affinitas inter cœleſtia & terreſtria, & ſtabile commercium.*

Ex dictis quoque manifeſtum eſt, unde *Mercurius veſter* originem ſuam ducat;

Mercurius lac ſugit & talaria ſua induit in Aere.

cat; quando (ùt Poëtæ philoſophantur) *Junonis lac ſuxit;* quo modo *talaria ſua* induat; quíque per circuitum hunc (quem facit in majore mundo, pariter ac ſanguis in minore) ad ſummum tam ſubtilitatis, quàm tincturæ faſtigium conſcendat, ac verè *cæleſtis dicatur.*

Ex eodem Univerſali Mercurio fiunt mineralia, vegetantia & animalia.

Illi nimirùm vapores atque halitus, quos infernus calor indeſinenter & confertim reſpirat, ac in cœlum mittit, itemque reductos ſurſum pellit, ſunt univerſalis ille Mercurius aliquo modo ſpecificatus, è ſole ac luna, ſubtilioréque terra & aqua compoſitus, qui cunctas rerum ſpecies efficit atque format. Nempe *craſſior* eorum pars pro varietate terrarum, quas oſtendit in aſcenſu ſuo, diverſa *metalla ac mineralia* fabricat: at *ſubtilior* iſta portio, quæ ſublimiùs aſcendit, cuncta *vegetantia* producit; unáque materiam *animali* naturæ ſuppeditat. Quippe ùt è tenuiore parte iſtius Mercurii, ſive halitûs inferni, cum terra ſubtiliore concreti, vegetantia omnia prognata ſunt; ità animalia ſimiliter è tenuiore purioréque plantarum materia, ſubſtantias ſuas eliciunt, atque ſuſtentant.

Nullus Mercurius animali Mercurio ſubtilior.

Non dubitandum eſt igitur, quin Homines, qui magnam partem carnes edunt ſubtiliſſimo omnium Mercurio ſcateant; quia

quia nutrimentum ſuum, ſubtiliſſimam nempe ſucci partem, quam ex illis deſumunt, per novas ſubinde concoctiones ultrà digerunt; & perenni motu atque circuitu ſanguinis, tanquam molendino, perfectiùs atterunt ac attenuant. Ut non mirum ſit, quòd omnes ab Hermete Philoſophi conſtanter aſſerant, Mercurium ſuum ex homine potiùs educendum eſſe. Certè quidem, ſi *ſubtiliſſima* viventium, tam *vegetantium* quàm *animalium ſtamina* quoddam quaſi *Subtegmen humanæ naturæ* præbeant, (quod extra controverſiam eſt) quid rationi magis conſentaneum eſſe poſſit, quàm ut ex illa Philoſophi telam texant ad ſtolam pro Chemico ſuo Rege parandam. Certo certius eſt Lapidem veſtrum niſi ex Mercurio fieri non poſſe; ipſúmque Mercurium, priùſquàm in Elixyrii naturam vertatur, figendum eſſe; atque antea, quàm tingere valeat, cumulatè tingendum: non autem priùs figi, quàm ſubtiliſſimus evadat; nec priùs tingi, quàm Sulphur fiat. (Quod quidem Sulphur, ob miram ſuam ſubtilitatem, ſtabilémque fixitatem, ſubit intima cujuſque metalli penetralia, atque ea locuplete tinctura donat.) At cùm nullus ſit Mercurius humano ſubtilior, aut tinctura ditior, vel ad fixitatem pro-

Idèo ab Hermeticis ſummè expetitur.

chivior; reſtat utique nihil eo præſtantius eſſe, vel quod magis à Philoſophiæ ſtudioſis expetendum ſit.

Aurum niſi priùs reſolvatur nihil valet ad Opus phyſicum.

Aurum ſanè (nam taceo reliqua metalla, prout ab Opere Philoſophico magis remota) naturam habet tam denſam, atque compagem tam firmam, & quæ malleo Philoſophico tam difficulter cedit, ut ægriùs attenuari, debitève reſolvi poſſit. Imò ipſa tinctura, quam habet, adeò exilis eſt & parca, ut eam aliis egenis metallis impertire ſinè detrimento ſuo nequeat: nam licèt aurum purâ fulgeat eſſentiâ, & propter calorem ſuum (qui cum corpore mirabiliter extendi poteſt) à Philoſophis etiam *Sulphur* dicatur; non tamen à Natura plus tincturæ nactum eſt, quàm ſibi ipſi ſufficiat. Quocirca neceſſe eſt, ut intimè recludatur *Aurum* vulgare, & in *primam* ſuam *materiam* priùs reducatur, quàm Philoſophis ulli uſui eſſe poſſit. Quod quidem in omnibus metallis, non ſolùm veteres *Hermetici*, ſed & *Ariſtoteles* etiam tanquam neceſſarium poſcit. Qui in metaph. *lib. 4.* affirmat, *unum metallum in aliud tranſmutari non poſſe, niſi priùs reducatur in primam materiam*, ſcilicet *in Mercurium*. Quam vocem arbitror ferè ſemper apud Hermeticos non argentum vivum vulgare (quod

etiam

etiam eſt metallum, & eget reductione non minùs quàm aurum) denotare, ſed *Aquam* quandam *igneam* atque *viſcoſam*, quæ in viſceribus ſuis geſtat lunam ſolémque veſtrum; albam ſcilicet atque rubram tincturam. Quas quidem tincturas non ſolùm metalla atque mineralia, ſed & omnes res, quæcunque ſunt, quæ ex elementis conſtant, imò elementa omnia (quia ſunt compoſita, & nullâ arte unquam fiunt ſimplicia) plùs minùs habent. Quanquam in pleriſque rebus inſit tam pauca tinctura, támque diſperſa, ut vita minuti Philoſophi priùs defecerit, quàm debitam ejus copiam prolicere, vel præparare ſaltem poſſit.

Tinctura Phyſica eſt in omnibus rebus, ſed non ſatis copioſa.

His ità conſtitutis, oportet omnes Candidatos Alchemicos (qui jam ætatem priſcorum Sapientum non vivunt, nec eorum peritiam ſibi vendicant) eam potiùs in manus ſuas materiam ſumere, quæ ſubtili mercurio prægnans eſt; atque intus gerit accumulatam tincturam. Quænam verò ſit iſta materia, ſatis expreſſè videtur indicâſſe perantiquus iſte Philoſophus, cui nomen eſt *Bazamur*. Qui filii ſui collum complectens, juravit per Deum Cœli ac Terræ. *Lapis eſt de me, & de te:* innuens humana corpora mineras eſſe, ex quibus optima maxima copia metal-

Eſt in Homine ſatis copioſa.

cli Philoſophici, Mercurii ſcilicet & ſulphuris, erui poſſit.

Sed cùm varia ſit humani corporis ſubſtantia, atque humores diverſi, dubitandum eſt, an venæ Mercurii veſtri ſint æquè per univerſum diſperſæ, vel potiùs in aliqua ejus regione tantùm ſitæ. Quòd ſi Veſtræ Dominationi placeret oſtendere locum iſtius mineræ, in poſterum fores mihi tanquam *Virgulâ divinâ* ſuſpiciendus. At ſi pro voto meo reſponſum feceris, novi ſtatim deſiderii fiduciam ſimul atque neceſſitatem creabis: propterea quòd in præparatione *Mercurii animalis* non tantùm magna ſit difficultas, ſed & periculum quoque magnum, ſive ob nimiam ejus ſubtilitatem ſenſus noſtros vincat, ſive ob malam qualitatem ſupprimat. Idcirco Benigniſſime Vir, impenſè rogandus es, ut diſcipulum tuum doceas, quâ ratione tractari ſcienter ac tutò poſſit. Aiunt enim Scriptores Alchemici *Mercurium animalem Baſiliſcum* eſſe; quem ne aſpicere quidem ſinè viſûs ſui damno quiſpiam ſolet. Adeò ut infelix Alchemiſta, dum putat ſe ad pulchram *Dianam* accedere, de improviſo in *Meduſam* incidat. Quamobrem niſi mihi candidè atque benevolè mittas acrem tuam ſententiam, ac velut *Harpen*, quâ ego, ſimi-

militer atque *Perſeus* olim, Meduſæ caput abſcindam, hoc eſt, ut poſſim noxias iſtius Mercurii qualitates, aut delere penitùs, aut certiùs evitare; multò ſatius erit opus animale non aggredi, verùm ad arcana vegetantium potiùs indaganda curas ac cogitationes meas, atque omnes induſtriæ nervos intendere. In herbis enim latet miranda quædam tinctura; cui Sapientes à multis huc uſque ſeculis ſeſe addixerunt; eámque ſumis laudibus extulerunt: Utpote quam cenſuerunt animali vel (quod proverbio dicitur) *herbam dare.* Quocirca non irridendos eſſe puto Chemicæ Philoſophiæ peritos, cùm liberè pronuntiant, ſtupendum quid ineſſe plantarum naturæ; quandoquidem ex illis *ſuam aquam vitæ*, rem omnium *mirabilium* (proùt ipſi loquuntur) *mirabiliſſimam* proliciunt. Quæ non modò puras in ſe cunctorum Elementorum Eſſentias abſcondit, verùm etiam lunari ſolariſque tincturâ dives eſt; ſumaque exiſtit tam metallorum quàm hominum medicina. Hoc aſſeverant omnes firmiſſimè; ſed Veſtra tantùm auctoritas mihi fidem faciet. Aiunt autem hanc Quinteſſentiam ſive Tincturam vegetabilem parari, vel *ſeparando elementa*, quæ ſingulatim purificari, atque iterùm

In Herbis etiam eſt copioſa Tinctura, & Aqua vitæ phyſica.

pro

pro rata portione jungi ac figi debent; vel *corpus* ipſum *purum atque putum reddendo*; quod per ſolutiones ritè factas, atque ſæpiùs iteratas præſtari ſolet. Cùm nihil aliud requiratur, ut in Mercurialem atque reipſa Phyſicam Tincturam quicquam redigatur, quàm ut puriſſimum fiat. Sed hic labor, hoc opus eſt.

Metalla non poſſunt verè atque perfectè reſolvi niſi per Aquam vitæ Phyſicam, vel per quiddam analogum.

In ſumma; tam vegetantium, quàm animalium natura, cùm ſit cruda & aperta, & puram in ſe cùm albam tum rubram tincturam habeat, ignis auxilio ad ſummam perfectionem prorſum duci poteſt: ad hunc autem perfectionis atque tincturæ gradum metalla protolli nequeunt, niſi priùs in primigenii ſui Mercurii cruditatem motu retrorſum facto redeant. At ità reſolvi metalla, ut rurſus imatura fiant, niſi per *Veſtram Aquam Vitæ*, vel πολυθρύλλητον illud *Vinum metallicum* (quod Philoſophi ſoli ſapiunt) ægrè poſſunt. Scio equidem penès aliquos eſſe quaſdam aquas (Menſtrua vocantur) per quas ex auro color ejus educi ſolet, ac alij imperfectiori metallo ad augendam tincturam dari. Sed iſtâ ratione non plus tincturæ acquiritur ab uno, quàm quod aliud amiſit: nec ità figi vilius metallum, neque revera tranſmutari poteſt. Cùm ta-

tamen in veſtra aqua Mercuriali ſic liquetur, ſolvatur, atque tabeſcat aurum, ut novas exinde conſequatur vires, & quaſi vitam, ob quam vegetatur & augeſcit: adeò ut aurum ità ſolutum decies millies plus tincturæ metallis imperfectis & egenis elargiri valeat, quàm quod ipſum priùs habuit.

Quod ad Mercurium vulgarem attinet, nec iſte profectò veram fixitatem, vel locupletem tincturam nanciſci queat, niſi per liquorem *Salis Armoniaci veſtri* (qui fit ex urina Dianæ Virginis) priùs liquetur & recrudeſcat; ità autem vegetior evadet, & inſignis tinctura fiet, auri ipſius eſſentiæ vix cedens: imò ſanè, quicquid Sapientes ex auro per artem ſuam parare ſolent; id omne, quodcunque ſit, quod certè maximum eſt, ex ipſo etiam Mercurio produci poterit: quia Mercurius, ſi ritè ſolvatur, & dehinc Phyſico more coaleſcat & condenſentur ipſius puræ partes, auro ſimillimus exiſtit. Nec diffiteor, quin ipſe Mercurius egregio quodam modo reſolvi poſſit per ſulphur Auri, quod ritè applicatum ſe cum argenti vivi ſulphure (quæ eſt pars ejus magis cocta) libenter miſcet ac unit, eóque facto ſalem Mercurii ſolvit, & quaſi manumittit. Quod minimè mirum videatur acuto con-

Nec Mercurius.

contemplatori Naturæ, quoniam utrumque prorſus ex una eademque radice, unóque ſtipite provenit.

Perfecta Metalla & mineralia perfectam tincturam præbent.

Adhæc alia minùs perfecta, & inferioris (ut ità dicam) ſubſellii metalla, pro ea cognatione quæ ipſis eſt cum argento vivo, ſic per artificium cum auro atque argento conjungi poſſunt, ut unà particulares quaſdam tincturas exhibeant. Quæ ſi ad eum gradum celſitudinis evehantur, ad quem per Philoſophos extolli poſſunt, univerſales etiam præbebunt. Quod ipſum quoque de quibuſdam mineralibus ſcilicet Antimonio, vitriolo, ſulphure, multiſque aliis, dici poſſit.

In eo certè conveniunt omnia metalla, quòd ex ſulphure & argento vivo conſtant. Quorum tamen unum plus ſulphuris habet, aliud plus argenti vivi. In hoc defæcatius eſt ſulphur, in illo purius argentum vivum, & quò purius eò fixius utrumque. Nam ut quidpiam fiat ſumè fixum atque ſubtile (quale id cenſendum, quod Philoſophicè fixum eſt) maximè purum reddi debet. Nec aliter inter ſe differunt omnia metalla, niſi quantitate, puritate, fixitatéque ſulphuris & argenti vivi. Sed illud interea certiſſimum eſt, (licèt id multum abhorreat ab opinione

Sulphuris & Argenti vivi natura una & eadem.

ne vulgi) ſulphuris & argenti vivi unam eſſe eandémque naturam. Præterquam quòd argentum vivum, quando pleniore coctione coloratius atque calidius eſt redditum, ſulphur dicatur: nam quod coloratum eſt & rubrum, id manifeſtò ſulphur eſt, & occultè Mercurius; at quod album eſt, id, vice verſâ, palàm Mercurii, ſed clàm ſulphuris naturam habet. Hinc evenit, ut Philoſophi non rarò ſulphur appellent argentum vivum, & contrà argentum vivum vocent ſulphur; atque frequenter aſſerant id ipſum fundamentum, cui innititur omnis Alchemia, rem unam eſſe; proindéque Philoſophos ad Arcanum ſuum conficiendum re unicâ duntaxat indiguiſſe. Hoc unicum verò (ſive illud argentum vivum, ſive ſulphur dicatur, aut utriuſque nomen habeat) nihil aliud eſt, quàm quatuor elementa debitâ ratãque portione ſic adunita atque ſubacta, ut primò conſtruant eam cõmunem eſſentiam, quæ vegetantem atque animalem naturam æquè ac metallicam affectat; & à peritioribus appellatur Mercurius: at poſtea ſubtili cuidam terræ imixta, pleniúſque decocta ſulphur & argentum vivum conſtituit: atque pro eorum varia proportione, diſpari diſpoſitione, coctionéque

que diverſa, cuncta mineralia atque metalla fabricat. Sed cùm ſulphur & argentum vivum reipſâ unum ac idem eſſe dixerim, peto, ut concipias me non intellexiſſe iſtam ſupervacaneam atque redundantem Mercurii fæcem in ſua prima coagulatione contractam, quæ à vulgo Philoſophorum ſulphur combuſtibile dicitur; ſed accuratiùs excoctam, fixioremque Mercurii ipſius eſſentiam, quæ nullâ unquam vi ſulphure ſuo fraudari poteſt; & quod unumquodque minerale atque metallum in ſe plùs minùs habet; atque nuncupatur *Aurum iſtius rei*, cui ineſt. Huc igitur unicè ſpectat & quaſi collimat Alchemia, ut, removendo quicquid ſupervacuum eſt, & quod comburi poſſit, puram hanc eſſentiam ritè ſeligat; eámque perfectè coquat figátque. Quo facto rem miram ſanè peragit, quæ non modò vulgarem Mercurium, ſed & omnia imperfecta metalla in aurum vertit. Id quod Ars aurifica viis ac modis variis, atque ex diverſa materia, perficere potis eſt.

Tinctura Phyſica variis modis paratur

Non autem ſum neſcius, quot & quanti Adepti reclamant, atque Lapidem ſive Tincturam ſuam, ex una re tantùm, atque unicâ methodo parari contendunt, phyſicæ rationis ignari.

Nam

Nam licèt Alchemiæ veritatem probè noverint, utpote qui Lapidem propriis manibus ſemel aut ſæpiùs operati ſunt, attamen intra tam anguſtos Scientiæ limites incluſi fuerunt, ut planè neſciverint, quid Univerſa Natura profert, quanta inter eſſentias omnium rerum præcipuè mineralium cognatio exiſtit; & quàm latè ab ipſa Natura jacta ſunt ſolidiſſima Chryſopœiæ fundamenta: adeòque judicabant nullam eſſe ſemitam præter eam, quam ipſi calcâſſent, quæ ad Philoſophorum campos Elyſios duceret. Hi ſanè (quod pace Philoſophorum dici vellem) mihi videntur eſſe non diſſimiles idiotæ cuidam Romano, qui cùm è Roma nunquam egredi, neque ad ipſam revertere niſi per viam Appiam ſoleret, alium eſſe aditum in Romam pugnaciſſimè negabat. Verùm enimverò ſi qui ſeriò perpendant affluentiam Naturæ, benèque ſecum reputent quàm lata ſit Ignis Philoſophici ditio atque poteſtas; & in quot rebus innata ſit agilis ea eſſentia, quæ veſter Mercurius appellatur, illis liquidò conſtabit plurimas eſſe vias, quæ ad veſtræ Dianæ ſylvam tendunt; varias certè procedendi rationes, per quas Sapientes ad Chryſopœiam pervenerunt.

Mihi olim ſuſpenſo atque ſolicito ani-

Quatuor viæ generales ad Tincturam phyſicam. Cæleſtis 1.

animo quærenti, quatuor vias generales quaſi digito monſtrabant ſcripta Hermetica. Quarum Prima eſt *Cæleſtis* ille proceſſus, cùm è Solis ac Lunæ radiis mercurialem quandam ſubſtantiam proliciãnt: Quam quidam aiunt optimam eſſe operis univerſi materiam; atque miram hanc naturam de cœlo detrahunt, vel phyſicè, *per magnetes*; vel mechanicè, per *vitra*; quæ concentrando radios Solis, ipſos vertunt in *pulverem rubrum*; Lunaréſque radios in *liquorem lacteum* redigunt: ex quibus ritè junctis, coctiſque, grande ſuum Elixyrium concinnant.

Alia via non iñeritò nuncupatur *Aerea*: quoniam ad metam phyſicam per ſubtiliſſimos ſpiritus ex animali natura deſumptos ducit; ſed non ſinè periculo viatoris: Iſta etenim animalis eſſentia, quam magni æſtimant Alchemiſtæ, calidiſſima eſt & ſubtiliſſima (ità ut à quibuſdam *lumen*, *aër* & *ignis* dicatur) & tantâ pernicitate ſenſus operantium permeat, ut ipſos illicò (niſi prudenter & cautè res agatur) vincat & perimat. Quocirca reor me non abſurdum fore, ſi ſpiritus illos igneos & incendiarios appellarem *currum Solis*. Quem, ſi quis imperitus attentet ac regere geſtiat, verendum erit ne Phaëtontis ad inſtar malè mul-

Aerea 2.

mulctetur, & *magnis excidat auſis.*

Tertia via non ineptè vocatur *Marina*, quæ vegetantium (proùt loquuntur Hermetici) mare tranat atque tranſmittit. Quod qui trajicere deſiderat, oportet, ut priùs alteram velut Argo-navim, ſcilicet *Aquam vitæ Philoſophorum* (quâ ipſi tanquam rate ad portum vehuntur) ſibi paret. Tanti autem artificii ratim extruere, opus Argi, ſumi artificis, vel Dædali cujuſdam foret. Quocirca niſi tu mihi tanquam alter eximius Naupegus adfueris, ac è qua materia, quâque machinatione fabricari ſoleat apertè monſtres, equidem de hoc marino itinerè nihil dehinc cogitabo, pedes ambulare contentus. *Marina 3.*

Sed hoc etiam me valde anxium atque ſolicitum tenet, quòd nec ad terreſtre iter ſim paratus; nec enim mihi adhuc (quod proverbio dicitur) *pedum viſa eſt via.* Nam quarta illa generalis via, quæ *Terrena* dici meruit, quia per regnum mineralium tranſit, non modò peranguſta eſt & anfractuoſa, pluribus compitis interſecta, plena foveis, & intercluſa virgulis, obſitáque ſenticetis, ſed & quæ per medios montes denuò fodi atque ſecari debet: quod facilè credo à nemine unquam fieri poſſe, niſi cui veſtrum *Acetum* (ſolvens il- *Terrena 4.*

lud celeberrimum) præſtò fuerit; quod penitiùs ſolvat *montis veſtri*, ſcilicet *auri* compagem, quàm illud, quo Annibal olim montem Alpinum diruebat.

Inter mineralia Aurum præcellit.

Verùm quàm-difficiles-cunque ſint iſtæ viæ, certum eſt (niſi me fallit Hermetica diſciplina) magnum illud Arcanum, Philoſophorum nempe Lapidem, per illas omnes fieri poſſe. Sed quamvis ex aliis quoque metallis ac mineralibus apparari poſſit, aurum tamen in hoc opere efficiendo reliquis omnibus eſt præferendum: Utpote quod cæterorum eſſentiam in ſe contineat. Hoc liquet ex eo, quòd quicquid in illis purum eſt, id omne redigi poteſt in auri naturam, imò in aurificam tincturam.

Inter vegetantia, quod optimum ſpiritum vini præbet.

Quoad naturam Vegetantium, licèt aliæ multæ plantæ, ſpeciatim verò *trifolium* veſtrum *aquaticum*, tincturam phyſicam de ſe promant; tamen id Hermetici præ cæteris eligere ſolent, quod optimum ſpiritum vini tribuat. Cui certè ſpiritui cunctorum vegetantium virtutes ineſſe ex eo conſtat, quòd, cùm ad ſummam ſuam perfectionem puritatémque per artem deducta ſint, optimum ſpiritum vini per deſtillationem, non ſecùs ac vites, edant atque proferant; nec quid aliâ ratione præſtantius unquam præbeant.

Cun-

Cunctis demùm animalibus antepo- *Inter animalia Homo.*
nendus eſt Homo, ut qui non modò, quicquid eſt Mercurialis eſſentiæ vel in vegetantium vel mineralium natura, ſubtiliùs atque potentiùs in ſe, velut in pyxide concluſum, teneat; ſed & omnium animalium quoque virtutem eximiè ſubtiliatam atque emendatam poſſideat. Illi ergò nec inſcitè nec imprudenter egiſſe putandi ſunt, qui hanc vim ex homine, vitio, atque auro ſeorſim traxerunt; ſumè puram reddiderunt; ex arte miſcuerunt; atque in unam tandem naturam redegerunt fixerúntque; nimirùm ut perfectiſſimam atque altiſſimam inde tincturam facerent. Magnum hoc Magiſterium ex tribus eſſentiis apparatum, celeberrimus ille Philoſophus, qui nomine aſcito fictóque vocatur Baſilius Valentinus, Τελισμεγιςὸν appellat: hujuſque triuni Lapidis vim affirmat ità aliorum omnium virtutem ſuperare, ut, qui poſſeſſor ipſius non fuerit, eum Coronâ Chemicâ minimè redimendum cenſeat. *Ex his tribus magnum Magiſterium.*

Præter háſce comunes atque generales vias, aliæ exiſtunt particulares methodi vel ſemitæ (ex illis autem deductæ) quarum hanc unus, aliam alii calcaverunt. Sic ex Marte ac Venere: ex Jove atque Saturno: è Vitriolo, An- *Sunt etiam variæ particulares viæ.*

timonio, Sulphure, Arſenico: porrò etiam ex Humano ſanguine: nec non aliis humoribus animalium: ſimiliter è Chelidonio, ac nonnullis aliorum vegetantium ſuccis elici poſſunt tincturæ, quæ ità per artem Hermeticam ſubtiliari figíque nonnunquam ſolent, ut deteriora metalla penetrent, inficiant, ac in optima tranſmutent.

Cur Sal Auri additur ad Tincturam univerſalem perficiendam.

At cùm horum omnium eſſentiis Alchemiſtæ Salem perfecti metalli (ſcilicet auri ad tincturam rubram: ad albam verò, argenti) miſcent, ut eas multò citiùs puras atque fixas reddant. Quippe ſicuti fuſores pulveribus ſuis, quæ difficulter fluunt, res fuſas adjiciunt, ut eò facilius liquentur; ſic additâ fixâ naturâ Chemici rem ſuam figendam leviore negotio perficiunt. Quanquam putem iſtam adjectionem metalli perfecti præparati, non neceſſitatis ergò, ſed operis accelerandi, temporiſque lucrandi cauſâ factam eſſe. Cùm ad opus Elixyrii perficiendum longius alioqui ſpatium requireretur, quàm vel Opificis patientia vel ætas admitteret; ac fortè majus artificium, quàm ejus imperitia præſtaret.

Sed cùm ea rerum omnium, mineralium præcipuè, comunis ſit natura, ut jiſdem conſtent principiis, Sulphure ſcili-

licet atque Mercurio; & ut artis auxilio deponant, quicquid in ſe habent ſupervacui vel impuri: cùmque res omnes per Ignem Sapientum citò matureſcant, atque auream naturam induant; imò ſanè (quod mirandum eſt) *tincturam multiplicabilem* atque *creſcentem* ſibi comparent, nihil obeſt profectò, quò minùs omnia tandem, ſinè ulla ope vulgaris auri vel argenti, ad Elixyrii perfectionem perduci queant: maximè verò mineralia, quorum natura propinquior ociùs ad ſupremum ſuæ tincturæ gradum conſcendit. Imò & animalium atque vegetantium eſſentia, quamvis ſit à natura metallica remotior, non eſt tamen omninò aliena. Hoc affirmatur à Philoſophis etiam peritiſſimis: qui ſcitè dicunt Homini, proùt cæteris quoque viventibus, ineſſe venas Mercurii: qui ejuſmodi eſt, ut poſſit ab Alchemiſtis ad conſimilem naturam fixitatemque metallicam adduci. Non quòd argentum vivum vulgare ſanguini humano innatum eſſe credant, ità ut ex eo prolectari per quampiam deſtillationem ſoleat (nam ſi quid argenti vivi ſic extractum fuerit aliquando ex ſanguine, quod aſſeverant nonnulli, videtur id à venefica Venere potiùs, quàm ab amica natura fuiſſe inditum) ſed

Omnibus rebus inest Mercurius.

quòd eum videant abundare ſubtiliſſimo ſale, quem Mercurium vocant; quémque ad tinctúram atque fixitatem valde proclivem eſſe ſciunt.

Philoſophi ex Vino ſuo rubro & albo parant Tincturam Phyſicam.

Adhæc, ut alios omnes ſuccos de vegetantium familia dęſumptos jam præteream, Vino ineſſe ſulphuream, pinguem, atque viſcoſam quandam vim, hoc eſt, reverà metallicam pro comperto habent veri Alchemiſtæ. Quam ut effectam dent, accipiunt vinum rubrum vel album, ſed clarum, dulce & (à quo circumcelliones abhorrent) oleoſum atque odoriferum; ejúſque ſpiritus ſubtiliſſimos, ùt par eſt, putrefaciunt, ac multiplice deſtillatione ab omni phlegmate ſuo (quod vocant) & fæce terreſtri penitùs exuunt; eóſque tandem per ſubtile quoddam artificium in puram ac conſimilem naturam è Sulphure atque Mercurio conflatam redigunt. Quam cum auro vulgari Sophico more præparato conjungunt & figunt; ejúſque tincturam mirè dilatant atque adaugent, ità utpoſthac eam liberaliter egenis metallis impertire valeat. Hoc tamen aliqui, ut eò faciliùs præſtent, vini, ac mineralium quorundam (puta vitrioli) ſpiritus, qui naturæ metallicæ propinquiores ſunt, artificioſè miſcent ac uniunt; junctos putrefaciunt & deſtil-

ſtillant; Elementa ſeparant, depurant, atque denuò comiſcent coagulántque, ut exin artis & naturæ ſulphur exurgat; quocum & auro ſuo rem iſtam miram efficiunt, quod Elixyr vocatur.

Quomodo ſit è re quavis Mercurius Philoſophorum.

In ſumma profectò (cùm ſint ejuſdem quaſi ſtipitis omnia) nihil aliud efflagitari videtur, ut è quovis ligno, vel è re quavis fiat Mercurius veſter, quàm ut quicquam reddatur purum, ſubtile, tinctum, fixum atque cerifluum. Quod quamvis hiſce quinque verbis ità comprehenſum ſit, tam longi tamen eſt muneris, atque tam difficilis, ut neque ludo puerorum, nec opere mulierum, vel ingenio ſagaciſſimorum virorum abſolvi poſſit, niſi peritus aliquis artifex aut magiſter ſuas ſuppetias afferat.

Scriptor ſe comparat cum pſittaco.

En hîc habes, Excellentiſſime Vir, animi mei ſententiam, quà potui breviter atque luculenter expreſſam. Sed me pudet hæc omnia non aliter enarrâſſe, quàm garrulus iſte Pſittacus olim Romæ in ædibus eminentiſſimi Cardinalis Aſcanii cuſtoditus: qui, præter alia multa, *Symbolum Apoſtolorum* recitabat clarè & diſtinctè quidem ſed inſcitè. Ut meritò concludam, Vos me non citiùs habituros eſſe pro Philoſopho, quàm Pſittacum iſtum pro Chriſtiano.

Spero tamen, ſi quæſtiones annexas

ipſe benevolâ reſpoſione digneris, me tandem aliquando in cœtum Philoſophorum aſcriptum iri. Quocirca Veſtram Dominationem iterùm atque iterùm rogo atque obſecro, ut mihi reſponſum des, non linguâ Philoſophicâ, quæ obſcura eſt, ſubdola atque fallax; ſed propriâ, hoc eſt, apertâ ac candidâ: quippe certus ſum, niſi forſan alienam perſonam induas, (quod quidem, neſcio quâ lege Philoſophorum, facere nonnunquam ſoles) nihil ex pectore tuo, quod non ſit ingenuum atque generoſum depromi; nihil ex ore, quod non ſit perſpicuum atque ſincerum proferri poſſe.

Vereor autem, ne longior hæc atque nimiùm producta Scriptura, non modò leges Epiſtolæ violaverit; ſed & patientiæ veſtræ terminos, ùtùt diſſitiſſimos, longè tranſgreſſa fuerit. Porrò quoque non imeritò pertimeſcerem, ne Philoſophorum invidiam, obſcuritatem atque vanum timorem perſtringendo, (quanquam id molliſſimè factum ſit) tibi diſpliceam; niſi quòd optimè ſciam Dominationem Veſtram (cui tum corporis habitum ad harmoniam compoſitum, tum ſuaviſſimos animi mores indulſit Natura) non adeò pruriente ſenſu eſſe, ut leviſſimo

quo-

quopiam tactu, nedum palpo vexari ſoleas; multò minùs adeò iniquum animum habere, ut id ſiniſtrâ manu accipias, quod dextrâ porrectum eſt. Nam ſi quid habeant hæ literæ, quod rationem, vel certè reprehenſionem magis, quàm decet, acrem ſapiat, quæſo ut benignè concipias, id non infenſo animo ſcriptum eſſe, ſed excogitato conſilio, nimirùm ut ea, quæ objici meo rogato poſſent, illis, quibus fas eſt, argumentis amoverem; atque id efficerem, ne veſtra Philoſophica ſeveritas atque amiciſſima diſpoſitio, quaſi manus inter ſe conſererent; atque de proxima Lapidis veſtri materia comunicanda concertarent; adeóque meæ petionis eventum felicem præverterent. Scio prorſus, quatenus id lectione poſſit intelligi, quâ vi ac quantâ virtute polleat Veſtra Quinteſſentia; ſcio etiam, quantâ induſtriâ, quibus artibus, quali ardore, & quàm magnâ quoque religione Philoſophi eam celare contendant. Quocirca nihil priùs agendum reibar, quàm ut iſtis argumentis obviam irem, quibus ipſe alioquin impediare, quò minùs innatæ veſtræ benignitati morem geras; aut conceptæ erga me amicitiæ comiter indulgeas. At hoc interim mihi verendum erat, ne vide-

rer

rer peccaſſe in ſumam tuam intelligentiam, dum rationes exhibeo pro arcanis veſtris liberiore doctrinâ, vel potiùs ore communicandis; & contra ſinceram benevolentiam, dum fingo argumenta ad excitandum tuum amorem, quem eſſe verum atque inſignem erga me frequenter ac ſeriò profeſſus es. Ob quem certè perpetuò deditum atque devinctum habes Excellentiæ Veſtræ cultorem ſinceriſſimum atque devotiſſimum ſervum.

Lond. Pridie Calend.
Auguſt : 1683.

QUÆS-

QUÆSTIONES

Propoſitæ

THEODORO MUNDANO.

HAbes hîc, Ampliſſime Vir, Quæſtiones à me propoſitas, atque meas unà commentationes, in quibus ſi quid fortè videas joculare, quæſo ut id accipias tanquam ludicrum quoddam ſeriis idcircò admiſtum, ut hebetis & obtuſi ſcripti tædia quodammodò minuat. Alioqui ſcio quàm tibi moleſtum foret; qui ſemper in rebus ſeriis, ſeveritatem; in jocoſis, leporem quæris. Adjunxi verò meas hâſce cogitationes, ut ſcias, an longè prope-ne diſtem à veritate: quô priùs cognitô paucioribus indigeas ad me erudiendum. Hoc enim eſt, quod à te jam ſummopere peto, ut harum quæſtionum viſcera denudando, mihi prorſus intima veſtra ſecreta pandere non recuſes.

Quid

Quid eſt

MERCURIUS

Philoſophorum?

1. MErcurius certè vox vafra eſt atque veteratoria; per quam Philoſophi ſæpiùs oleum, frequenter aquam, mox aërem, nonnunquam ſalem & terram notant, rariùs argentum vivum vulgare. Hîc maris, illîc fœminæ vicem gerit Mercurius; alibi meretur nomen Androgyni. Nunc vocatur ſerpens, vel buſo, qui in terra gráditur; alio tempore dicitur avis, qui *volitat per aëra pennis*. Iſtámque avem multi niveam columbam eſſe aiunt; alii verò corvum nigro nigriorem; nonnulli eam, pavonem nuncupant, vel anſerem, vel phaſianum; plures appellant aquilam: eámque cæteris avibus multò frequentiorem eſſe contendunt. Cùm tamen eam maxima pars hominum ſentiat unico phœnice rariorem eſſe; & niſi ad Comicam iſtam Urbem, quam Νεφελοκοκκυγίαν vocant, nullibi reperiendam.

dam. Mirum quidem ſi non auceps, quotus-eſt-quiſque Philoſophicus, hîc hæreat anxius atque ſuſpenſus, & quid inſequatur, quidque venetur reverà neſcius; inſequitur attamen ad eam temeritatem per ipſos Alchemiſtas adactus. Qui cùm hanc volucrem miris laudibus extollant, eámque omnium maximè cõmunem eſſe vehementer aſſeverent; multos ad eam perquirendam conſectandámque provocârunt. Quod ab omnibus ferè tam vano conatu, ac tam *malis* (ùt aiunt) *avibus* obitum eſt, ut poſt longum aucupium vel nihil omninò, vel certè milvum pro aquila; & pro columba, graculum vel ululam reportaverint.

Fingunt Poëtæ Mercurium ſuum fuiſſe latronem verſutiſſimum; eúmque aliquando, cùm equum optimi generis & inſignis notæ furatus eſſet, aſinum pro eo reſtituiſſe, atque præſtigiis ſuis id effeciſſe, ut fraus à poſſeſſore non ſentiretur. Porrò cùm ab alio viro pulchram atque tenellæ ætatis ſponſam rapuiſſet, ejus vice mucoſam atque deformem anum ſubſtituiſſe. Non à vero abludunt hæ cõmentitiæ fabulæ. Quot enim homines apud omnes ferè nationes extiterunt, quos in ætate florente Mercurii veſtri conſequendi deſiderium

pel-

pellexit, & quaſi furto ſeduxit, eóſque ab argilla, carbonibus, aſſiduiſque laboribus inquinatos ad ſenectutem uſque detinuit? Quotus eſt quem à patria, à parentibus, atque à ſeipſo diripuit idem ſtudium; eúmque tandem, licèt antea vir alacri animo, acutóque ingenio fuerit, mœſtum, ſinè ſenſu, ſinè ſapore, tardum, ſtipitem, ac planè aſinum reddidit? Eouſque tamen abſtruſæ neſcio cujus ſcientiæ opinione apud ſuos elatum, ut magnus Chemiſta audiret?

Chemia ſanè, prout traditur à Philoſophis, eſt inſtar ſpeculi cujuſdam, ità variis Mercurii nominibus atque proprietatibus adumbrati, & (ut ità dicam) ponè obducti, ut in eo ſuum quiſque vultum, vanas ſcilicet, ac ineptas conceptionum ſuarum ſpecies & imagines intueri ſe credat. Unde fit, ut Philoſophorum Mercurius plures in mundo fraudes atque præſtigias; majora furta atque inaniora inſomnia paſſim concitaverit, quàm Poëtarum ille patrâſſe fingitur. Plus certè veſter alatus juvenis influit in aures hominum, eorúmque animos blandâ ſpe auri, quocunque libuit, multò fortiùs quàm fictus ille Poëtarum ſuâ catenâ aureâ trahere ſolet.

Nec mirum profectò, quia non mo-

dò

dò quod Philoſophi tam ſolicitè quærunt à veſtro Mercurio, per Sophiæ labores obtinendum ; ſed & quicquid avari cupiunt, aut prenſant ambitioſi, ab eo impetrandum ſit ; cujus certè vis eſt ità per univerſum diffuſa, ut nihil omninò ſit in rerum natura, quod non ipſi virtutem ſuam referat. At in intimis uniuſcujuſque rei viſceribus ità deliteſcit ; & ſe (verſipellis ùt eſt, & verſicolor) ità immutat, ut perpauci ſint hactenùs, qui ipſum inveſtigare, vel internoſcere ſaltem poſſunt.

Scio equidem (ſi id ſciri dicatur, quod concentus conſenſúſque Philoſophorum mihi quodamodo notum fecit) Mercurium veſtrum eſſe *humiditatem* quandam *aqueam* atque *unctuoſam*, quæ ſtillat è monte veſtro, ſicut oleum à ſaxis, quod Petroleum dicitur. Scio eundem eſſe *ſpiritum igneum*, qui tum *albam* in ſe, tum *rubram tincturam* geſtat. Nec me latet ipſum eſſe *ſalem* quendam è terra veſtra ſublimandum. Sed ut clariùs intelligam, quid ipſius intima natura fuerit ; è quo corpore proximè atque præcipuè proliciendus ſit, & quo igne quóve regimine ad ſumum gradum perfectionis ſuæ ſublevari ſoleat, Veſtra explicatio mihi vehementer exoranda. Quòd ſi candidum mihi

hi reſponſum mittas, te ſanè multò veriùs quàm Poëtarum Mercurium pro Deorum nuncio atque interprete ſuſpiciam ; tibïque linguam (proùt olim Mercurio ſolebant) piam gratámque litabo.

Quid eſt Materia Lapidis Phyſici?

2. Facilè credo Materiam veſtri Lapidis, etiamſi dicatur cœleſtis eſſentia, atque ſit reverà lumen & purus ignis, per univerſa terræ quaſi rudera diſperſam eſſe, atque inter ipſa latere. Adeò ut, quod perabſurdum erat in Hiſtrione Olympico, qui, cùm exclamáſſet, o cœlum ! depreſſâ manu terram indigitabat ; à Philoſopho quidem ſatis aptè congruentérque factum eſſet ; quoniam ne particula quidem terræ exiſtit, quam non aliquæ ſcintillæ cœleſtes incolant. Nec ægrè aſſentior Hermeticis, qui ſtatuunt unamquamque rem, quæ ex elementis conſtat, imò elementa omnia, lunarem ſolarémque naturam in ſe habere ; puram nempe, lucidam atque Mercurialem quandam naturam ; quæ, ſi à compedibus iſtius corporis, in quo vincta detinetur, unquam liberata fuerit, atque operâ Philoſophi tanquam manumiſſa, prodit illicò cœleſtem atque

que igneum ſuum vigorem ; & quàm habilis ſit ad tincturam veſtram conficiendam paucis menſibus oſtendit. Sed quia Mercurialis iſta natura, quæ comunis eſt rebus omnibus, ab Opere Philoſophico valde remota eſt, & in his ſatis copioſa, in aliis verò rebus perpauca exiſtit ; ſciat Dominatio Veſtra, materiam, quam quæro, eſſe eam, quam Philoſophi deligunt, ut ex ea Lapidem ſuum concinnent. Hanc ergò, de qua tam altum apud ipſos eſt ſilentium, ſi Veſtra Excellentia mihi luculentiorem reddat ; & in qua re, quâque parte iſtius rei plenè cumulatèque reperiatur, oſtendat, aram æternæ gratitudinis Tibi tanquam Deo *Aio loquenti* conſecrabo.

Quid eſt Ignis ſecretus Philoſophorum.

3. Quanquam non raro Philoſophi ſecretum ſuum Ignem *Balneum Mariæ*, *Ignem Lampadis*, *Fimum Equinum*, atque *Calcem vivam* appellant ; aliiſque nominibus, tam quæ humidam, quàm quæ ſiccam materiam notant, eum indigitare ſolent. Conſtat attamen eos *igneam* quandam *Aquam* duntaxat intellexiſſe ; quam nonnulli vocant *Ignem-aquam*, qui radios mittit & rivos ; hos ut urat & calcinet ; illos, ut irriget ac ſolvat : quandoquidem eo ipſo liquore

Philoſophi terram ſuam in calcem niveam redigunt; atque omnia metalla ſua funditùs reſolvunt. Quocirca cùm Sapientes Ignem hunc omnium rerum, imò elementorum omnium puriſſimam partem eſſe; atque ex omnibus eliciendum pronuntient; dubium erit, an ex illis velut è ſilicibus excutiatur; an hauriatur tanquam è puteis. Quomodocunque ſe res habeat, certiſſimum eſt nihil eô difficilius acquiſitu fore; cùm ferè nihil aliud egerint Philoſophi, vel libris ſuis, quos tam vafrè compoſuerunt; vel ſermonibus, quos tam ſubtiliter atque verſutè contexerunt, quàm ut hunc Ignem celarent: ſinè quo nihil unquam, quod eximium atque magnum eſt, in Chemia præſtari poſſit. Quocirca ne ſpes mea frigeat, omniſque induſtria, (quam tutè ſoles accendere, & plenis quaſi buccis ſufflare) penitùs obrigeat, obſecro Te, Vir Excellentiſſime, mihi ut porrigas hunc Ignem; vel ut clarè doceas, de quo foco petendus ſit. Hoc ſi mihi gratum facere digneris, omnibus meis facultatibus enitar aliquid Hermeticâ Sapientiâ dignum peragere; atque etiam Tibi, tanquam *Lari* meo maledicorum *linguas* (qui ritus erat apud Romanos) tanquam tot *latrantes canes* imolare.

Quid

Quid eſt Aurum Philoſophorum.

4. Aurum quidem Sapientes Hermetici frequenter memorant, atque decantant, magna de eo prædicantes; quo nomine ſæpiùs aurum arte factum, (quod vim atque proprietatem à naturali auro longè diverſam habet) nonnunquam etiam aurum vulgare, ſed magno artificio paratum, & (ut loquuntur) animatum deſignant. Aurum verò, quod Philoſophis eſt in maximo pretio, & quod in ſua Arcanorum arca cuſtodiunt, non eſt vulgare illud, quod fœneratores pro uſura cum anatociſmo ſuppeditare ſolent; ſed eſt vilius ac comunius aliquod metallum, quod Irus ac Codrus æquè ac Crœſus olim poſſedit.

Habent enim Philoſophi ſua ſecreta metalla, quæ longè abſunt à vulgaribus, jiſque præferenda ſunt. Nam ut cætera metalla, ſic & Aurum ſuum tradunt eſſe vivum, apertum, viride, in quo ſpiritus tingens atque creſcens ineſt; idque reverâ eſſe Naturam quandam liquidam, igneam & aëream, fœtidam atque odoram, quam, quoniam conſtat ex Mercurio & ſulphure, *metallicam* vocant; imò etiam *metallum*.

Magnī ſanè intereſſet indigentis at-

que minuti Philoſophi talis auri ſodinam atque venas ipſius uberrimas invenire. Libenter equidem vellem metallum illud de facie ſaltem noſcere, multò potiùs ſcire, in quo monte ſatis abundanter effodi poſſit. Hoc autem mihi fruſtrà ſperandum cenſeo, niſi Tu faveas deſiderio meo, atque veſtram comentationem mittas, quæ meliùs, quàm virga (prout vocatur) Divinatoria, locupletem iſtam mineram prodat.

Quid ſunt Montes Philoſophorum.

5. Philoſophi, qui theſauros ſuos & ſua ſecreta metalla magnopere venditant, ineptiſſimi ſanè glorioſiſſimique viderentur eſſe oſtentatores, niſi Montem quoque metallis iſtis producendis aptum poſſediſſent: talem verò ſe habere liberè declarant; eúmque Montem aiunt ex una parte *Veneris*, ex altera *Mercurii* nomine celebrem eſſe. Ut fas ſit credere Philoſophorum Montem pariter ac Poëtarum Parnaſſum, bicipitem eſſe. Spero tamen longè ditiorem, ſcilicet amplis argenti aurique venis refertum. Ut poſſint Philoſophi majores ex eo divitias eruere, quàm ex Parnaſſo ſuo Poëtæ.

Per hunc *Montem* (ſi quid rectè concipio) nihil aliud intelligebant præ-

ter

ter illam materiam, ex qua duo iſta *Sulphura*, *album* ſcilicet ac *rubrum* (quæ metallorum ſuorum quaſi minera ſunt) effodere ſolent. Vel quicquid eſt ubique terrarum, quod materiam Lapidis phyſici in viſceribus ſuis tanquam in fodina continet, id Montem ſuum vocant, & ſuo jure quodammodo vendicant.

Faxit Excellentia Veſtra, ut (quod feliciter vertat Reipublicæ, Philoſophis, atque ipſi Chemiæ) Montes veſtri parturiant, & aliquando pariant non ridiculum murem, ſed cœli ac terræ filium, Lapidem Philoſophorum.

Quid eſt Mare Philoſophorum?

6. Ut de magno iſto monte, qui jure hæreditario ipſis obvenit, multùm gloriantur, ità etiam de Mari ſuo Philoſophi magna prædicant. Illud enim vaſtum eſſe affirmant, & (quod mirum eſt dictu) per montem univerſum labi, atque ad ipſius profundum uſque penetrare. Non alio tamen nomine magis decantandum eſſe, quàm quòd *piſciculum* quendam *præpinguem*, qui nec ſquamas habet, nec oſſa, neque teſtam, producat. Ex hoc piſciculo citrinum quoddam collyrium fieri tradunt, quo ſi delineantur oculi noſtri, Lynceo perſpica-

ciores nos futuros eſſe, atque omnia ſecreta Philoſophorum clarè perſpecturos. Ex eodem quoque piſciculo proliciunt ſuam Aquam vitæ, quæ eſt celeberrimum illud Menſtruum, quo Sapientes omnia penitiſſimè reſolvunt, atque in originem ſuam reducunt; id quod abſque omni lucta placidè ac tranquillè peragunt; contrà quàm deſtillatores noſtri communes, & opimoſi Chemiſtæ ſolent; qui rerum compagem per quendam acrem liquorem frangunt & comminuunt quidem, ſed non reverà ſolvunt; majores interim fluctus in ſuo *ſimpulo* concitantes, quàm Philoſophi in ſuo *Mari mediterraneo*. Facilè, ſpero, mihi concedas illud ἐπιθετὸν, cùm per Mare veſtrum nihil aliud intelligi videatur, quàm radicalis iſta humiditas, quæ intrinſeca eſt ſali ſive terræ veſtræ, cujus meditullium occupat. Nec ego piſciculi nomine quid aliud concipiendum eſſe reor, quàm veſtrum tingens ſulphur, quod, cùm nondum ſit fixum, dicitur in iſta humiditate ſalina natare, ſicut in Mari piſcis. Libenter equidem venarer hunc piſciculum; & in eo capiendo pertinaciùs inſiſterem, ſi modò præſtò eſſet veſtrum *rete mirabile* vel *hamus aureus*, quo facillimè prendi ſolet. Quod ſi non contingat, multò conſultiùs à me factum erit,

erit, ſi ab iſto piſcatu prorſus abſtineam, metuens ne aliquando *cum piſcatore* (quod proverbio dicitur) *ictus ſapiam.*

Te verò tanquam *Angelum aquarum* imploro, ut háſce mihi aquas agites & excutias; ut ad ingentem iſtum pruritum, quo mens mea laborat, ingreſſu meo nanciſcar citum atque jucundum remedium; nempe hominum atque metallorum Medicinam.

Quid eſt Aqua vitæ Philoſophorum?

7. Scio veſtram Aquam vitæ, per quam ſolam auri compagem radicitùs & perfectè ſolvere, atque in originem ſuam reducere ſoletis, non modò *Aquam Mercurialem, aquam Vitrioli, aquam Saturni; Menſtruum vegetabile,* atque *Acetum acerrimum* dici, ſed & *Vinum* atque *Spiritum vini* frequenter à vobis appellari. Quale vinum vel acetum fuiſſe illud arbitror, in quo olim Margaritas ſuas Cleopatra reſolvit, & liquefactas reſorbuit; atque ità *in cœna unica centies ſeſtertium* (id eſt ducenta quinquaginta millia aureorum) *ſpectante Antonio ſola cœnavit.*

Non me latet ſubtiliſſimam partem vaporum atque halituum, qui à terræ profundo ſurgunt, & mineralibus atque metallis ſuum ortum præbent, à vite pu-

riùs & copioſiùs attrahi, quàm ab aliis vegetantibus. Porrò lubens eo in eorum ſententiam, qui docent vires atque virtutes omnium plantarum ineſſe viti, quia ſuccus aliarum omnium plantarum ad ſumum gradum perfectionis ſuæ per putrefactiones, deſtillationes, ſeparationes, atque depurationes adductus, ſpiritum vini optimum, nihilque majus aut eximius, exhibet. Nihilominùs quia ſubtiliſſimus ſpiritus vini à vite (licèt is totus accendi poſſit, & flamis ſuis abſumi) ne quinquageſimam partem, quæ non ſit aqua inſipida (proùt compertum eſt) in ſe continet, ſtatuendum eſt ſpiritum vini, ſive aquam vitæ vulgarem minimè ſatis habilem fore ad ullius metalli, multò minùs auri fabricam diruendam: & cùm *veſtra Aqua vitæ* multò propinquior & cognatior ſit terræ ac ſali, auróque veſtro, quàm ſpiritus vini communis eſt (utpote quæ cum metallis ipſis ſolutis concreſcit ac permanet) quærendum eſſe talem *ſpiritum vini*, qui ſit *igneæ atque ſimilaris naturæ*, ſic ut nihil inſulſi phlegmatis (ùt vocant) à ſeipſo depromi unquam patiatur; nec relinquat quidpiam in fundo vaſis, in quo deſtillatus ſit. Huic Vino non opus eſt hederâ. Nec *Philoſophici* noſtri *Vinarii*, quamvis illi magnificè vinum ſuum

ſuum præ cæteris omnibus extollant, ullum adhuc Inſigne ſuſpenderunt, quo illud ſciri potuerit adiríque.

Hoc igitur ut indices mihi vehementer Te rogo ; quicquid enim reſponſi dabis tanquam ex oraculo Apollinis Pythii editum mihi pútabo : nihil poteſt eſſe verius : id tamen obnixè peto, ut ſit oraculo clarius.

Quid eſt Diana Philoſophorum.

8. Clamant omnes *Argyropæi* atque *Aurifices* (hoc eſt *Alchemiſtæ*) magnam eſſe *Dianam Philoſophorum.* Ex cujus cultu magnum ipſis accrevit lucrum. Nec Philoſophi ſanè minùs glorioſè, quàm Poëtæ, loquuntur de pulchritudine ſuæ Dianæ, nec non de ipſius ſylva, columbis, ac de perenni fonte, in quo ſe lavare ſolet. De quibus ità convenit inter ipſos, ut meritò quiſpiam dubitet, an Poëtæ philoſophentur; an Philoſophi nectant fabulas. Equidem exiſtimo, quicquid ab his vel illis fictum videtur, aliquid alti ſapere. Ideóque ſoleo Philoſophorum parabolas & allegorias, pariter ac Poëtarum fabulas, aſſimilare ſtatuis iſtis antiquis, quas *Silenos* vocabant, quæ cùm clauſæ fuerint, monſtroſas atque ridiculas neſcio quas ſpecies præ ſe ferebant ; apertæ verò

(nam

(nam ſic fabrefactæ erant, ut facilè deduci atque explicari poſſent) illuſtres atque divinas imagines, quæ intùs erant, intuentibus exhibebant. Neque dubito, quin fons iſte, ea ſylva, eæque columbæ, quæ ad Dianam referri ſolent, ſi, quod re notant, benè ſciretur, tum veram Lapidis veſtri materiam, tum phyſicum ejus apparatum clariùs indigitarent. Nam, ſi rectè conjicio, *Diana veſtra* nihil aliud eſt, quàm *Sulphur* illud album, ſive *Terra foliata*, quæ à Philoſophis *Chemica Luna* dicitur.

Quod ſi Benignitati Tuæ placuerit hæc omnia magis perſpicua reddere; & Lunam Veſtram affuſo lumine ſic illuſtrare, ut ejus orbis mihi plenus compareat, eris mihi magnus Apollo.

An Lapis ſive Quinteſſentia Philoſophorum per humanam diſquiſitionem ſciri atque parari poſſit?

9. Quamvis Hermetici Lapidem ſuum *Dei donum* vocent, & Hagiographi doceant id omne, quod perfectum eſt, à Deo profluere, (quod certè veriſſimum eſt) nihil attamen impedit, quò minùs alii pariter affirment, eum abſque miraculo, ac ſinè ullo præceptore (quicquid in contrarium ferunt multi Scriptores Alchemici) per homines ſe-

ſedulos atque ſagaces inveſtigari poſſe; quatenus ejus principia ſint à natura; & quæ ad eum ducunt, humanæ rationi in rebus hiſce phyſicis exercitatæ, ſubjecta ſe dedant. Adeò ut illi, qui naturam rei benè contemplati ſunt, facilè concipiant, quibus viis iſte lapis indagari poſſit, eumque forſan ad hunc modum à Veteribus inventum fuiſſe credant.

Primævi Sapientes cùm viderent Solem, qui luce ſuâ luſtrat ac complet omnia, per radios ſuos ex hoc terraqueo globo multos anhelitus atque vapores nullo puncto temporis intermiſſo concitare; eóſque vapores in aëra ſublatos variis huc illuc motibus agitari, donec cum effluviis aſtrorum, quibus occurrunt, paſſim concreſcerent, atque tantum ponderis acquirerent, quantum ab aëre, bajulo ſuo, diutiùs ſuſtentari non poterat, indéque rurſus ad terram cum rore ac pluvia decidere. Porrò cùm mentis oculis cernerent hanc materiam à cœlo delapſam non omninò quieſcere in terra, nec ibidem manere; ſed ab eodem motore dies atque noctes cieri, ſubtiliùs attenuari, atque iterum in aëris regionem pelli; porrò etiam cum cœleſti ſpiritu denuò coire, & quaſi prægnantem reddi; atque adeò graviorem factam mox ad terram relabi.

Dein-

Deinde quia clarè ſatis intelligebant, eandem materiam quæ in ſublime ſæpiùs erecta fuit, partem tenuiorem eſſe terraqueæ ſubſtantiæ à craſſiore ſegregatam; eámque novis uſque particulis cœleſtibus unitam continuò ſubtiliorem puriorémque fieri. Cùmque obſervarent omnes res, quò puriores fuerint, eò magis ad amplexum mutuum diſpoſitas eſſe, proindéque puram iſtam materiam, craſſæ jam fæculentæque terræ rurſus adjungi minùs aptam, ad eas verò particulas, quæ mundæ, ſubtiles atque ſui ſimiles erant, intimiùs annecti affigíque valde propenſam eſſe.

Rectè concludebant aliquam hujuſce materiæ cœlificatæ (ſi liceat ità loqui) portionem, poſt quemlibet aſcenſum atque deſcenſum, à ſubtiliore quadam terra detentam, & cum ipſa concretam fuiſſe, atque ex iſto coitu prognatam fuiſſe puram, viſcidam atque unctuoſam iſtam naturam, quam Mercurium vocabant. Conſentiebant utique tenuiorem iſtius Mercurii, ſumméque fugacem partem verſus ſuperficiem terræ per calorem infernum mitti, ut ejus influxu cuncta vegetantium ſemina (nam ab initio creata ſunt vegetantium ſemina) creſcerent ac vegetarent; partem verò craſſiorem denſiorémque, ſubter ad ter-

ram

ram quandam ſubtilem morari ac ſubſiſtere; ut ibi mineralia atque metalla conflaret: iſta autem metalla pro puritate Mercurii ac Terræ, ex quibus conſtabant, magis aut minùs pura fuiſſe.

Quanquam verò Natura quotidie ſubtiliorem quandam materiam ab hoc, quem calcamus, globo vaporis inſtar exigere, in altum efferre, atque ei per mixtionem lucis & ignis cœleſtis, vim atque virtutem cœli tribuere, eámque ità nobiliorem factam rurſus in terram fundere ſoleret; & ex ea rem quandam mineralibus atque metallis efficiendis, nec non arboribus & plantis vivificandis aptam producere valeret; non potuit attamen hanc Mercurialem ſubſtantiam tam puram reddere, ut ex ea Quinteſſentiam vegetabilem, vel minerale quidpiam, quod eſſet auro nobilius, generaret; quia certum eſt ſumam perfectionem pendere à puritate ſumma; ad quam quidem Natura ſuopte molimine nunquam pertingit. Quippe quia purum ab impuro ſeparare niſi per unicam viam nequit, partes nempe tenuiores à craſſioribus elevando, eáſque admiſcendo cœleſti igni; atque interim vas idoneum, in quod reponat iſtam illuſtratam materiam, non habet, cogitur eam

eam ad terram rurſus demittere, & cum ipſa fæce, quam non multò ante reliquerat, iterùm confundere. Ità ut videatur Natura *ſuem lotam* (proùt eſt in proverbio) *ad volutabrum luti detrudere;* & multum operis ſui quotidiani fruſtrà peragere.

Eatènus autem proficit Natura, quatenus expirationes háſce terraqueas attollendo in aërem (in quo velut in Templo cœleſtes influentiæ terram in matrimonium ducunt) atque eas ibidem cum luce ac igne miſcendo, puram quandam ſubſtantiam creat, quæ quanquam mox ad terram depreſſa, & quodammodo merſa fuerit, longè tamen purior à ſublimatione ſua redit ac manet; quoniam ob cœleſtem eam indolem, quam induit in aëre, vix niſi cum puriore terra (ſimili ſimilem amante, ac parili ad parilem ſe applicante) coit & concreſcit; fieri tamen haud poteſt, quin aliquam à fœda ſocietate ſua labem contrahat; hinc neceſſe eſt, ut Natura tardo ſemper gradu procedat, & non niſi ſenſim ac pedetentim res ſuas minerales agat: tandem verò peragit, quatenus per aſcenſus aſpirationum terræ, atque earundem deſcenſus iteratos, primò *Mercurium* facit, è quo poſtea per diuturnam coctionem fabricatur *aurum*.

Quod

Quod, licèt omnium metallorum ſit puriſſimum, (& cui ſumam quaſi manum impoſuit Natura) vix attamen puræ putæ ſubſtantiæ privilegium (quod non admittit ullam mutationem vel interitum) ſibi vendicat.

Hæc, inquam, priſci Philoſophi cùm perpendiſſent & clarè vidiſſent, quid egerat Natura, quantùm proceſſerat, & ubi pedem ſuum fixerat, nihil ultra moliens; cúmque defectus iſtius rationem benè percepiſſent, habitâ omnium ratione, firmiter, ùt opinor, credebant Mentem humanam, quæ eſt Divinæ auræ particula, Naturam deſiſtentem promovere, deficientem juvare, atque imperfectam perficere poſſe; eámque ad majorem tum puritatis tum perfectionis gradum perducere. Quod quidem ità ſe habere facto periculo comperiebant. Rem autem primitùs aggrediebantur per deſtillationem, quam protinus excogitabant, ut per eam (Naturam ipſam, quà potuerant, imitantes) variis accomodatis inſtrumentis tenuiorem partem corporis à craſſa, à gravi leviorem, atque à fæculenta nitidiorem ſejungerent; eámque ſub ſpeciem fumi in alembicum velut in cœlum efferrent; ubi denſatus vapor in aquam liqueſceret. Hanc verò deſtillatam aquam denuò

ſu-

ſuperaffundebant rei in fundo relictæ (quam operationem cohobationem vocabant) ut eam prorſus ad exemplum Naturæ, novâ deſtillatione magis ſubtilem redderent, inſuper & adaugerent.

Verùmenim verò cùm ſolutionem neceſſariam eſſe perfectæ deſtillationi perciperent, volebant hac etiam ex parte Naturam ſequi, ſed quoad modum ſolvendi nequibant: quoniam Natura per pluvias ac rores, atque per radios ſolares igneam & ſubtilem vim cœli conjunctam cum corporibus à terra ſublatis in terram ſpargebat, ut ipſam eò meliùs aperiret, ſolveret, atque ſublimationi magis aptam redderet. At Philoſophi vel rem ſuam præparatam aëri exponebant, (quæ prior ac Univerſalior erat via ſolvendi) ut quaſi machinâ quadam magneticâ, lucem & ignem atque ſtellares influentias à cœlo detraherent, quæ mirâ ſubtilitate ſuâ materiam penetrarent, in minutias redigerent, purumque ab impuro ſemoverent. Vel materiam quandam è mineralium, vegetantium atque animalium regno delectam atque jamjam cœleſti naturâ prægnantem digerebant atque putrefaciebant, ut eam ſeparationi phyſicæ magis aptam redderent. Idcircò namque putrefactionibus uſi ſunt, ut operâ ſolutionis

nis eò meliùs fungi possent: quia putrefactio rerum compagem frangit; elementa dividit; atque ità attenuat omnia, ut corpus illud, quodcunque fuerit, cui sic tractari contigit, magnâ suî parte liberæ destillationi subjectum sit. Qua sinè purum ab impuro sejungi nullo modo potuit. Utcunque tamen eò quòd manifestum erat res omnes optimâ destillatione separatas ab impuro corpore, non ità puras esse, quin debeant adhuc nitidiores fieri, priùsquàm ad summum virtutis suæ fastigium perveniant, rectè sentiebant Prisci physicas suas digestiones putrefactionesque sæpiùs esse repetendas, ut per eas plena rerum solutio fiat; indéque perfecta destillatio.

Sed quamvis opere solutionis optimè functi essent, *aquam* sibi adhuc *hærere* percipiebant, quia constabat partes hasce tantâ arte destillatas atque divisas, quanquam puræ fuerint, nihil unquam magni præstituras esse, quamdiu sic divisæ manerent; ipsas etiam per divisionem suam sic dispositas esse ac velut alienatas, ut redire iterùm in gratiam, rursúmque sociari nullo modo possent, nisi communis aliqua natura inter ipsas intercederet, & tanquam blanda conciliatrix atque læna coitionem faceret. Quocirca benè consideratis omnibus,

& factâ periclitatione deprehendebant ipsis fæcibus, à quibus istos puros liquores abstraxerant, inesse quandam substantiam, quam reliquarum omnium copulam, atque omnis solidæ concretionis esse fundamentum suspiciebant. Hanc *Terram albam* sive *Salem* vocabant, quem tamen usu atque experientiâ comperiebant ad opus suum prorsus inutilem esse, donec is ipse quoque purus ac mundus fieret. Hunc igitur Salem omnibus suis fæcibus exuere pro virili sua nitebantur; quod cùm effectum dare per solutionem vellent corpore nondum combusto, frustrà laborabant ob unctuosam quandam fæcem, cui Sal iste firmiter adhærebat. Igne igitur in auxilium vocato *calcinationem* inducebant, quæ quicquid erat olei combustibilis, absumeret; adeóque Salem penitiùs in aqua solubilem redderet & ab inutili terra separabilem. Salem ità crematum in aqua pura solvebant, colabant, desiccabant, idque sæpiùs iterabant, usque dum viderent *Salem nitidissimum*. Huic ità purgato Sali reliqua elementa pura, debitâ conjunctionis observatâ ratione, permiscebant; mixta per solutionem atque sublimationem ultrà purgabant; ac leni coctione continuâque tandem figebant. Opus

sanè

ſanè paucis indicatum, ſed quod artem magnam atque longum tempus poſcit & efflagitat.

Quanquam verò Sapientes in hoc opere obeundo Naturam ſequi per omnia non potuerunt; eam tamen longè ſuperabant; utpote qui paucis menſibus id efficiebant, quod ipſa Natura per ſe multos annos eniti ſolet. Nam quia non habuit niſi unicam, eámque lentam, viam procedendi, munia ſua mineralia tardè complebat. Ars autem per multa atque percommoda ſeparationis inſtrumenta puritatem citò conſequitur, atque celerrimè per varios gradus caloris fixitatem conſummat.

Ità ut Veterum Philoſophia videatur de Natura triumphum duxiſſe, ſive ipſius operis celeritatem, ſive perfectionem ſpectemus. Quippe quia per exquiſitas ſuas benè delectæ materiæ purgationes; per ſummam ipſius tenuitatem fixitatémque parabant rem multò nobiliorem auro, quæ non tantùm Mercurium atque viliora metalla in aurum verteret, ſed & alios actus admirandos ederet. Nam cùm eò pervenerat ſagax atque ſubtilis Ratio, non malè concipiebat ſe poſſe ulteriùs progredi, ſi modò Pulvis iſte Chryſopœius denuò ſolveretur, atque majorem inde

ſubtilitatem ſibi conquireret. Eventus non fallebat expectationem, re per veram ſolutionem tentatâ, per quam vires atque tincturam pulveris iſtius citò ac mirabiliter adaugeri cernebant; imò in *olei naturam* redigi. Quod quidem *oleum* porrò per iteratas ſolutiones eò ſubtilitatis evexerunt, ut non in mineralibus ſolùmodò, ſed & in vegetantibus ac animalibus etiam, imò *in ipſo aëre mirificas ſuas* vires exeruerit.

Hactenus certè vidimus (aut opinamur ſaltem nos vidiſſe) veſtigia, quibus inſiſtebant olim Philoſophi, dum Naturam in Lapide ſuo parando proſequebantur; reliquum eſt, ut, re benè penſitatâ, quæramus, an Veſtra ſecreta Materia, ex qua conficitur iſte Lapis, eâ ipſâ duce pariter inveſtigari poſſit. Non eſt ut dubitemus, quin ex Mercurio, quem veſtrum dicitis, quemque nuper ab ultimo ſuo initio repetebam, grande illud Elyxirium fiat. Verùmenimverò niſi Mercurius iſte, qui per omnia diſperſus eſt, in aliquibus rebus ſat copioſus reperiretur ac velut accumulatus, fruſtrà Philoſophiæ ſtudioſi tum ob difficultatem rei, tum ob vitæ brevitatem ſe perventuros unquam ad finem operis ſui ſperâſſent. Quocirca Philoſophi conſultò atque prudenter in manus ſume-

bant

bant talem materiam, quæ luce ac igne Mercuriali plena ac veluti prægnans fuit. Qualem, ùt reor, ſedulo atque ſagaci contemplatori quotidie ob oculos exhibet liberalis ſuî Natura.

Sed qui huic Philoſophiæ ſe dedunt, plerumque nimis ſubtiles exiſtunt; & tam de ipſa materia Lapidis quàm de ipſius apparatu, miras neſcio quas ac vanas ſibi comentationes nectunt. Qui ſi pinguiore (quod aiunt) Minervâ rem reputarent, ac opera Naturæ quotidiana ſimpliciùs ac diligentiùs adverterent, clarè ſcirent Naturam id in dies ſingulos agere, ut hunc latè diffuſum Mercurium cogat & coacervet; atque ità quid *unctuoſum* producat. Cùm ea ſit indoles iſtius Mercurii, ut quò magis eſſentiales ipſius partes in re quavis abundant; & quò propiùs abſunt à ſeipſis, eò viciniùs accedant ad naturam *olei*. Certè quidem Sol generalis iſte actor rerum univerſarum nihil aliud inſtituere per radios ſuos circumquaque miſſos videtur, quàm ut id, quod in omnibus Elementis eſt puriſſimum, vertat in pinguedinem quandam, rerum omnium radicalem humorem; & omnium mirabilium, tam quæ ab Arte, quàm quæ à Natura fiunt, materiam.

Quòd ſi quis levi pede percurrat tria

iſta (quæ vocantur Animantium, Vegetantium, atque Mineralium regna, veritatem rei ſpeciatim cernet ; & liquidò ſciet, quot modis, quibúſque rationibus Natura Mercurium veſtrum mutat, verſat, agitat, attenuat, incraſſat, coarctat atque dilatat, ut igneas ac inflamabiles ejus partes augeat, colligat, & in unum locum compellat ; eúmque demùm noſtris oculis exponat. Cœleſtem iſtum Mercurium (cui omnia, quæ ſub luna exiſtunt, ſuam pinguedinem ſuámque opimam fertilitatem referunt) præterlabi jam ſinamus ; imò & graviorem Mercurii ſubterranei partem, quam Natura in terræ profundo dies atque noctes ad incudem veluti tundit, ut ipſam magis denſam atque viſcoſam reddat (licèt ea metallis efficiendis deſtinata fuerit, atque Vulcano Philoſophico perutilis ſit futura) miſſam faciamus ; ejus autem tenuiorem leviorémque portionem, quam vaporis ad inſtar verſus ſuperficiem terræ propellit inteſtinus calor, attentâ cogitatione ſequamur ; atque animis noſtris obſervemus, quomodo Natura perfectioni ſtudens Mercurialem iſtum vaporem tractet, diſpenſet atque diſponat ; quáſque ſeparationes in Vegetantium radicibus, quas in truncis, caulibus, foliis atque floribus inſtituat, ut tan-

tandem igneas atque eſſentiales ipſius partes (nam quod *oleoſum* eſt, ſolùmmodò *meretur nomen Mercurii*) colligat, atque ſeorſim in ſeminis capſa conſtringat; atque ità demùm rem perfectiſſimam, quam potuit, non olitori tantùm, ſed & Philoſopho neceſſariam paret atque protendat.

Id ipſum agitur in Animalibus, in quibus Natura ſuccum Mercurialem, qui cedit ipſis in alimentum, per varias digeſtiones, continuóſque circuitus, pérque ſeparationes eorum omnium, quæ vel aliena, vel ſupervacua ſunt, in purum ac benè coctum liquorem mutat: is *Sanguis* dicitur. Sanguinis autem partes, quæ ſunt maximè ſubtiles & igneæ, mox ab eo ſecernit; & eas omnes ferè, niſi quas impendit in ſenſum atque motum, protinùs in *adipem* vertit. Quem tanquam ſublimatum quoddàm intùs in membranis includit atque ſeponit, ac ſi ipſum inſigni cuidam uſui reſervaret. Hic apex eſt omnis ſanguineæ mutationis; hæc iſta opima concretio, quam Sapientes olim, (quanquam obeſis fuerit contemptui) non negligendam putabant; utpote quam cenſerent non tantùm colonorum calceamentis, vel rhedarum axibus ungendis, ſed & duris incredulorum membranis,

rigidisque cervicibus emolliendis inservire posse.

En quos opinor fuisse quasi gradus scalarum, per quos ascenderunt Veteres tum ad scientiam materiæ Lapidis physici, tum ad ejus apparatum. En gratiam benignitatemque Naturæ, quæ rem idoneam Philosophico operi, latèque diffusam colligit, unum in locum cogit, eamque sagaci contemplatori quasi digito monstrat.

Sed ne credas, obsecro, Vir Excellentissime, me tam obesæ naris esse, ut putem, quicquid est oleosum vel adipale, Philosopho in deliciis esse; cujus scio, palato non arridebit oleum, nisi quod viride est, atque adeò subtile, ut totum destillari possit. Nec aliquod oleum tam subtile reddi posse, nisi accuratissimè resolvatur; neque resolvi unquam, nisi à peritis. Hoc igitur est id, quod unicè peto, (& quæ tibi, prout spero, non immodesta precatio videbitur) ut me protinus instruas *perfecta notitiâ liquandi axungiam*; méque hoc pacto dignum facias, qui tandem inter *Gebri lixas* ascribar.

An Chemia possit suppeditare Medicinam Universalem?

10. Cogitanti mihi vias ac modos, qui-

quibus Vestra Quintessentia metallis imperfectis ac velut ægris opitulari; atque ipsa in perfectissimam sanitatem ducere solet; atque animo volventi, quale illud genus, aut stirps illa fuerit, in qua metalla atque animantium corpora conveniunt, non ab omni ratione prorsus alienum videtur, ab Arte Chemica parari posse egregium atque præcellens Medicamentum, quod omnes etiam humanas ægritudines amovere, atque radicitùs extirpare valeat.

Certum est omnia metalla constare sulphure atque Mercurio. In his verò metallis sulphur magis aut minùs deficit, aut magis ac minùs impurum est; vel crassius aut subtiliùs attenuatum. In aliis id ipsum Mercurio accedit. Nec aliter illud discrimen, quod intercst inter metalla, definiendum est. Nam quòd unum sit altero magis fixum vel stabile, id omninò credibile est à partium tenuitate puritatéque provenire. Quod cùm prisci Philosophi benè secum reputarent, probéque scirent nihil aliud exigi ad perfectionem metallorum, quàm ut id, quod in ipsis est superfluum, penitùs exuant; & quicquid fæculentum est, etiam deponant; eam ipsam materiam, ex qua fiunt metalla (sulphur scilicet atque Mercurium) in manus suas ac-

accipiebant, eámque magnâ arte perpurgabant; atque ex ea conficiebant puriſſimam quandam eſſentiam, quæ metallis, quibus injiciebatur, omnes perfectionis numeros impertire potuit.

Nam cùm ea Eſſentia ſit res adeò pura, ut (pro lege naturalis iſtius fœderis, quod ictum eſt à rebus mundis) non niſi cum puris intimè commiſceatur; & eòuſque ſit ignea, ut, quicquid eſt crudum, citò coquat atque maturet; cùmque ſit ità ſubtilis, ut inſtar ceræ fluat; atque metalla penitiſſimè ſubeat & pervadat; ad hæc cùm ſit tam fixa, ut, quicquid in metallis diſſipabile eſt & fugax, ipſa vim ignis ſpernens, ſecum detineat; ac tantâ demùm redundet tincturâ, ut aliis, etiam copioſè eam largiri potis ſit. Cùm tales, inquam, vires ac qualitates habeat admiranda iſthæc Eſſentia, quandocunque projicitur in aliquod impurum atque ignobile metallum igne liquatum, minutiſſimas ipſius partes actutùm penetrat, purgat, maturat, figit atque tingit, eóque facto protinùs in aurum vertit.

Nec diſſimili ratione (proùt opinor) Univerſalis ea Medicina, quam generis humani ſolatio parit Chemia, res ſuas agit. Quæ quòd eſt eſſentia puriſſima, ſubtiliſſimáque pariter & fixiſſima, cor-

po-

pora animantium, non ſecùs ac metalla ſolet mineralis Elixyr, extemplò ſubit, pervadit atque immutat.

Non me latet profectò, quàm diſſimiles exiſtant illæ partes, ex quibus humana corpora conflantur; nec ignoro, quàm diſparili fabricâ (licèt illæ conſpirent in totius harmoniam) quámque diverſâ conſtitutione, nec non uſu vario differant, inter ſe diſſideant, & quaſi diſcordent. Adde, quòd laxam atque mollem naturam (contra quàm metalla) poſſideant. Neque dubitare poſſum, quin morbi, qui nobis humanitùs accidunt, ſint multi, diſpares, ac inter ſe confligentes; & qui non differentia tantùm remedia, ſed & contraria poſcant & efflagitent; adeò ut mutuatis inde rationibus haud pauci fortè concludant, nullam omninò corporibus humanis intereſſe cum metallis cognationem; neque Medicinæ metallicæ vires in argumentum humanæ trahi poſſe.

Multi nihilominùs, iíque majorum gentium Philoſophi (qui ſciunt iſtam ſecretam methodum, quâ Naturæ tela retexi, atque metalla pariter ac animantia in ſuam originem retrò duci poſſint) unanimi voce pronunciant, *humani corporis* atque metallici genus idem eſſe, atque eandem (ſi liceat uti verbo veteri)

pro-

proſapiam, ab eodem *avo Mercurio* derivatam. Et præter fæcem terræ, ac aquæ redundantiam, nihil eſſe in animantium Natura, niſi Mercurium ſulphure ſuo nullo unquam tempore deſtitutum. Porrò ſtatuunt nullum morbum (ex iis quos intemperiei acceptos referunt Medici) corporibus humanis accidere poſſe, qui non à Mercurii atque Sulphuris hujuſce vitiis, ex unius aut plurium Elementorum abundantia, vel defectu, vel motu natis, exortus ſit.

Veteres ergò Sapientes, qui fuerunt à ſecretis Naturæ, curatione metallorum in exemplum ductâ Quinteſſentiam quandam è vegetabili atque animali Mercurio confecerunt, quæ cunctos humores, atque omnium elementorum qualitates, ad æquam ac concinnam temperiem, hoc eſt, ad ſanitatem redigendi poteſtatem habuit. Quam quidem Quinteſſentiam per *ſuam Aquam vitæ* parabant, eamque nobis tanquam ſummam omnium ægritudinum Medicinam venditabant.

Vulgares ac, quæ particulares appellantur Medicinæ, nihil magni præſtare ſolent in iis morbis, qui difficulter cedunt; eò quòd vires haud ſatis efficaces habeant; & quas prima digeſtio deſtruit omninò, vel ſaltem minuit. Nam quia

naturam craſſam & intemperatam habent, & ab inſito noſtro calore nimis alienam, neceſſe eſt, ut vincant coctionem ventriculi noſtri, vel ut ei ſuccumbant, & immutentur, ità ut caſſis viribus inter fæces exeant.

Sed Univerſale Remedium, quod, ob purum ſulphur atque Mercurium ſuum, maximam cum noſtro calido nativo cognationem ſibi vendicat, omnes illicò digeſtiones illæſum tranſit, & non modò ventriculi, ſed & aliarum partium facultates juvat, reſtituit, atque mirè confirmat. Quanta pars animalis naturæ ſit à ſulphure atque Mercurio, probè ſciunt experti; & nemo veſtrûm dubitat, quin ex eſſentia Mercuriali atque ſulphurea conſtet Univerſale Remedium, quod, quia puriſſimum eſt & ſubtiliſſimum, atque congruens cum humana Natura, partes omnes citò permeat, & quicquid eſt impurum vel noxium mutat, aut certè deturbat, ac foràs ejicit.

Quocirca non defuerunt in omni ferè ſeculo Viri Sapientes ac Medici, qui, quòd ea remedia, quæ erant in frequente uſu, præ multitudine eſſent valde confuſa, vel præ viribus imbecillis minùs efficacia; porrò etiam quia rectus eorum uſus, ob abſtruſam atque reconditam Naturam morborum, parùm

rùm certus & cognitus erat, miſerantes humani generis infirmitates, ſeriò atque ſolicitè conſiderarent, num talis materia poſſet inveſtigari, quæ, cùm vires atque virtutes omnium remediorum excellenter in ſe contineret, plenam quoque morbos omnes abigendi poteſtatem haberet: ità ut neque ſagacitas Medici (qui ſæpiùs in explicandis morborum naturis, ſe præſtat Davum potiùs quàm Oedipum) in ægritudine dignoſcenda confunderetur; nec ejus peritia in apta propriáque Medicina conquirenda deficeret. Quod cùm judicâſſent haud alienum eſſe à natura rei, & in noſtram quoque poteſtatem cadere; porrò quærebant, unde ea generalis potentiæ Medicamenta proximè præcipuéque petenda eſſent.

Ratum atque firmum eſt omnem omninò Medicinam vel minerali, ſeu vegetabili, vel animali naturâ complexam eſſe; pérque rationes experientiâ conſignatas extra omnem ferè dubitationem poſitum, quòd princeps ac coryphæus omnium animalium ſit Homo: quódque Vitis ſupra quàm cætera vegetantia præcellat; atque nihil inter mineralia judicetur Auro præſtantius. Quocirca non inſcitè concludebant, ſi puriſſimæ potentiſſimæque partes iſtorum trium con-

conjungerentur, atque in unam Naturam redigerentur, maximam atque generalem quandam Medicinam ex ea fieri. Quod cùm effectum dediſſent, rem ità ſe habere comperiebant, apparatâ per laborem Sapientiæ Panacæâ. Quæ, pro ſua generali poteſtate atque benignitate, morbum ipſum, quicunque fuerit in humano corpore, ſuâ ſponte quærit, invadit, atque proſternit; nimirùm quicquid alienum velinfenſum eſt, illicò ſeparat ac præceps dat; intimè ſe adjungens Naturæ, cui ſimillima eſt & amiciſſima.

Quomodo verò poſſit una eadémque Medicina diverſis morbis ac planè contrariis opem ferre, atque ex eodem ore quaſi calidum & frigidum ſimul efflare; tam calidæ ſcilicet quàm frigidæ partis intemperiem corrigere, nullus adhuc, quod ſciam, ſcriptor accuratè docuit; quod certè mihi non minimam admitationem movit, cùm non difficilis explicatu res eſſe videatur. Nam tota vis Univerſalis iſtius Remedii ſuper hoc cardine vertitur, ut illud utique, pro ſumma ſua puritate ſubtilitatéque, ſanguimen noſtrum non modò ſaniſſimum reddat, ſed & ità efficacem, ut eâdem facilitate, quâ nutriat diverſas partes, etiam ſanet; unâquâque ſibi congruens

ac

ac aptum remedium, pariter ac alimentum, recipiente.

In ſanguinis autem ſinum facillimè atque avidiſſimè excipi generoſam iſtam Medicinam, libenter credet, quiſquis rectè ſanguinis & iſtius remedii Naturam, atque hujus & iſtius conficiendi rationem perpendit. Quippe quia certum eſt vim atque tincturam ſanguinis congruenter operi veſtro convenientérque fieri; & conſimilibus atque cognatis principiis etiam conſtare. Nam quicquid animantibus in cibum venit, ſulphur atque Mercurium participare; & in eorum ventriculis partim ab aciditate lymphæ vel pituitæ, partim à bilis huc illabentis oleoſo ſale comminui, ac quadantenus ſolvi; puriſſimámque ipſius partem in rudem quandam ſpeciem lactis ibidem verti compertum eſt.

Porrò ſuccus iſte, quem Chylum vocant, perfectiorem lactis formam (nam certum eſt ex coitu Mercurialis aceti atque ſulphuris gigni lactis formam) in inteſtinis induit. Huic enim ſucco pylorum trajecto mox ſe immiſcet ſulphureus quidam liquor è veſica fellea, ſimul & acidus è pancreate promanans; qui cum parili Natura, quam in chylo reperiunt, blandâ quadam luctatione dicam an amplexu congredientes, quicquid alic-

alienum eſt, aut fæculentum, vel ſupervacaneum ſeparant & amandant; atque ſucci purioris tum Mercurium tum ſulphur adaugent. Nam licèt albus externâ facie compareat, intùs attamen habet ſummam rubedinem digeſtione circuituque ſuo naturali promendam.

Sic veſtra ἐγχειρήματα, ſecundùm Naturæ vias ac leges inſtituta, ex uberibus ejuſdem materiæ perinſigne quoddam lac eliciunt, ac veluti mulgent: illúdque ſolâ coctione in tincturam ſanguinis inſtar rubram vertunt; ex qua Philoſophi concinnant ſuam Quinteſſentiam, ſurpremam omnium morborum Medicinam. Quæ, quia tantam cum ſanguine cognationem habet; atque mirâ ſubtilitate puritatéque prædita eſt, neceſſe eſt, ut eum, quamvis exiguâ quantitate nobis exhibeatur, ociùs intret atque pervadat, reficiat, exhilaret, atque vegetiſſimum reddat.

Ad hæc, ut eo clariùs eluceat Univerſalis hujuſce Remedii probabilitas, advertendum eſt Naturam (ſive igneum iſtum ſpiritum, quem Hippocrates appellat ὁρμῶντα καὶ ἐνορμὸν, i. e. motus & actiones cientem, Avicenna *Colkodovv* id eſt *Dominum naturæ*; & quidam recentiores *Archæum*; qui totam œconomiam animalem gerens, tum nutrioni

partium, quamdiu viget, ac liber ab impedimentis eſt, tum ſanitati proſpicere ſolet) ipſam morbis mederi, ancillante duntaxat Medicinâ. Quicquid idcircò Naturam liberam eſſe jubet, eámque potenter refocillat, Univerſi remedii vires habet; & quod ſequitur, omnes ægritudines amandare valet.

Verùm autem tanta Naturæ debilitas, tótque recuperandæ valetudinis impedimenta ſæpiùs exiſtunt, ut hæc nunquam dimoveri, nec ea convaleſcere quoquo modo poſſit, niſi magnum aliquod Arcanum ſuas ſuppetias afferat, aut Veſtra Quinteſſentia ſuccurrat. Quæ cùm res (ùt ſæpiùs dictum) ſubtiliſſima ſit, & cum humana Natura maximè congruens, univerſum corpus, fulguris inſtar, penetrat; & quicquid in eo craſſum eſt, aut coagulatum vel congeſtum, conterit atque diſcutit; quatenus etiam puriſſima eſt, omne fæculentum vel alienum ſejungit, deinde quia potens eſt, atque reverà cœleſtis ignis (etiamſi blandus ac humidus exiſtat) quicquid eſt crudum, citò coquit; & quod virulentum eſt, corrigit aut deſtruit; atque ità ipſum calidum, quod vocant, innatum, ſanitatem, imò & juventutem reducit. Sic prudens ac celebris iſte Medicus Jaſon (ſi fides adhi-

hibeatur mythicæ Philoſophiæ monumentis) Medicinâ ex herbis & animalibus, per ſapientiam Hermeticam ſive Medeam parata, ſenectutem ſuam depulit: ſic Empedocles olim (ſi vera ſit commemoratio Antiquitatis) magno remedio, quod ἄπνευν vocabat, languescentes homines, ἄφωνους, atque animam agentes revocabat. Ita etiam Raimundus Lullius (ſi credantur annales recentiores) cum morti vicinus fuerit, ope veri auri potabilis ad juventutem rediit.

An Patriarchæ per iſtam Medicinam vitas ſuas produxerint?

Patriarchas fuiſſe μακροβίους vix quidem poteſt in diſceptationem vocari; ſed ut credam eos omnes hanc artem calluiſſe, & (quod pro certo tradunt multi ſcriptores Hermetici) per Elixyrii virtutem ſuas ætates eouſque produxiſſe, nulla adhuc ratio, nulla diſputatio me compulit. Quocirca jam libenter vellem ſentire, quid optima argumenta, cum nobilitate atque authoritate ſummi Philoſophi conjuncta, poſſint efficere.

Chemiam ſanè perantiquam eſſe, & retrò ad ipſum Chamum referri poſſe

non inficior; neque litem movebo illis qui hanc artem Patriarchis, iſtis avis mundi, notam atque excultam fuiſſe dicunt; ſed cur eorum ſeras ætates exinde peterem, non video. Cùm pluſquàm veriſimile ſit idcirco tantam longævitatem primævis hominibus à Deo conceſſam fuiſſe, ut mundo citiùs implendo conduceret: eámque propterea non fuiſſe Patriarcharum propriam, ſed omnium antediluvianorum communem felicitatem.

Quis autem mente ſuâ concipiat, eos omnes vel intellexiſſe Chemiæ ſecreta, vel uſurpâſſe ad longas ætates efficiendas? Antiquitùs in Ægypto paſſim floruit Alchemia; & non ſolùm à ſacerdotibus (qui erant Naturales Theologi, ſed etiam à profanis, qui eam primogenitis ſuis tanquam hæreditatem firmam relinquebant, exculta fuit & uſitata. Verùm, cedò mihi, quot ex Ægyptiis Patriarcharum ætates egerunt; aut vi Quinteſſentiæ filios ac filias gignere poſt ſeptingentos annos valuerunt? Nullos ſanè vel annalium fides vel publica memoria, vel tráditio recenſet.

THE-

THEODORI MUNDANI

Reſponſa Gallicè ſcripta

ſed Latinè reddita per

Dm. Drem. H. B. Philochymicum.

PLurimæ licèt Epiſtolæ tum negotia tum humanitatem ſpectantes (homini ſcilicet mei characteris maximè congruæ) à me aſſiduò promanant; nullúmque tempus majorem mihi voluptatem verámque complacentiam conciliat, quàm quod lectioni & contemplationi philoſophicæ impenditur; haud frequenter tamen ducor Philoſophicis literis reſponſa mittere, multò minùs Philoſophantium more: quia propter rationes aliquas, (quæ conjecturam tuam fugere non poſſunt) eam ſpeciem induere nollem, quæ Philoſopho aſcribitur, non magis quàm in ea forma ſcribere, quæ impudentiæ vel ignorantiæ nomen meretur. Utcunque (Amice mi doctiſſime) tantoperè delectatus & quaſi raptus ſum epiſtolâ tuâ ingenioſiſſimâ, elegantiſſimâ, & apprimè Philoſophicâ, ultimo Julii milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo tertio datâ, ut, ſi humaniſſima

& amiciſſima tua Eutrapelia, induſtria Chymica, morum candor, & omnifaria literatura priùs à me promiſſum non extorſiſſent, illis tamen, tuiſque poſtulatis, eâ perſpicuitate quæ cum obligationibus priſtinis, & ſecretæ Philoſophiæ regulis conveniat, non potuiſſem non jam reſpondere: & ingenuè profiteor, quantùm iſtæ normæ ſinè ruptura patientur ampliationem, eas tuî gratiâ me dilataturum & extenſurum.

Viginti abhinc annis aut circiter Angliam totam prætervectus, cùm in tranſitu, moráque brevi apud celebrem ſplendidámque Oxonienſem Academiam, ea mihi felicitas atque gratia contigiſſet, ut in tuî notitiam devenirem, tuíque cùm magni laboris, tum ſumptûs in arte Chymica impenſi teſtis oculatus fierem, incredibili gaudio fui perfuſus, quòd morum probitatem, polymathiam, ſtudioſum ad Pyrotechniam Genium, cum veris Philoſophiæ principiis in una indole feliciter convenire inveniſſem; adeò ut in animo habuerim literis meis promovere & illuſtrare principia in te Philoſophica, eóque confirmare avidum & ſedulum tuum veræ Scientiæ ſcrutinium.

Et, ſi probè memineris, Epiſtolâ tibi Londino miſſâ, (quâ gratias pro hu-

humaniſſima tua erga me hoſpitalitate & prothymia Oxoniæ accommodata perſolvi) conſilium meum hac in re expoſui; quod indubiè præſtitiſſem, niſi poſtea accepiſſem, quòd tua in Medicinæ praxi oneroſa occupatio, & inſignis exiſtimatio vix te in poſterum experimentis chymicis vacare permitterent. Hac de cauſa propoſitum meum Tecum familiaritatem & commercium exercendi depoſueram, quamvis venerationem ergà inſignem tuam Eminentiam remitti nunquam ſinere potuiſſem. Cùm autem Angliam redeunti, anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono, iterùm mihi nomen tuum & fama Londini occurriſſet; atque tunc temporis cum amico meo Becketio Te conveniens, affectum tuum erga Chymiam non penitus extinctum, ſed contractum, calidiſque negotiorum cineribus tectum reperiſſem; atque ex fornacibus nuper ſtructis percepiſſem chymicum tuum ſtudium non minùs quàm ignes reſuſcitatum, hoc ſpectaculo magnopere gaviſus ſum, tum veſtrâ cauſâ (ſatis perſuaſus Te, Dei benedictione operoſæ tuæ ſagacitati aſpirante, illud demùm aſſecuturum, quod abundè labores & expenſas compenſaret) tum Artis ipſius gratiâ, quæ à tam ingenioſo, probo

& prudente cultore gloriam & reverentiam meo judicio non potuit non adipiſci.

Quapropter, ut irrefragabili argumento, quam ingentem de Te concepiſſem opinionem & quàm honorificè de te ſentirem, teſtarer; útque in principiis Philoſophicis & ſcrutiniis te fidentiorem facerem, *duas iſtas profectiones* paulò poſt coram teipſo præſtiti. Non autem debet verborum meorum veritas in dubium vocari, cùm hoc tibi pro certo aſſeram, quòd, licèt pluſquàm quadraginta annos *Adeptus* fuiſſem *Philoſophus*, nunquam tribus perſonis, ſi teipſum excipias, vel memet, vel Artis hujus veritatem cognitam feci.

Hæc autem taciturnitas mea & receſſus nec pravæ indoli nec invidiæ imputanda, ſed juſtæ formidini, curæque neceſſariæ, quam ad ſuî conſervationem unumquemque Sapientem exercere deceat. Exempla extant & documenta quàmplurima periculorum, incarcerationum, mortiúmque intempeſtivarum, quas ſibi attulerunt Philoſophi, dum, vel ex avido benefaciendi ſtudio, aut ambitione, ſua & vana Scientiæ jactantia, temerè & imprudenter certa peritiæ ſuæ proferentes ſpecimina ſe aliorum notitiæ prodiderunt.

Si

Si cætera defuerint argumenta, quæ non ità pridem amicis noſtris Philoſophicis in Gallia contigerunt, admonitionem mihi ſat ſupérque ſuppeditent; & quod Raimundo Lullio in Anglia quondam accidebat (ſi quando conatus tuos chymicos exoptato eventu coronaverit Omnipotens) Te etiam cautionem doceant.

Aliquæ portiones Elixyris aut pulveris tranſmutantis in pravorum poſſeſſionem venerunt, interim eorum plurimis laqueo fuerunt ac damno: ſed (care mi Amice) hoc perſuaſiſſimum habeas, quòd Philoſophi, qui ſacræ hujus Artis naturam & intima myſteria callebant, pietate & probitate celebres erant; multáque magnifica & præclara facinora in gloriam Dei, humani generis commodum, Rerúmque Publicarum, in quibus vixerunt, emolumentum ſpeciale perfeciſſent, ſi ſuam in iſtis peragendis facultatem auſi fuiſſent pateſacere. Ea verò eſt mortalium pravitas, ea non minùs ſuperiorum quàm inferiorum avaritia, ut, quàmprimùm ſe notum fecit Philoſophus, ſtatim malevolorum injuriis, inſidioſis machinationibus, & incarcerationi exponatur. Nihilominùs extant in pleriſque gentibus ingentia liberalitatis & magnificentiæ mo-

monumenta ; & in ſingulis ſeculis egregia ab iis edita ſunt opera, quæ non publicè intellecta ſunt aut ab Elixyris ope ; aut ab eorum beneficentia, qui reipſâ fuère auctores, proficiſci. Duo tantum eximiæ illorum munificentiæ in medium producam exempla ; primum quòd Philoſopho tibi conterraneo ; ſecundum, quia in patria tua peractum eſt.

Nam inculpatæ fidei Regiſtris innoteſcit, quòd Patriota veſter *Riplæus* per multos annos ſucceſſivè centies mille libras *Equitibus Rhodienſibus annuatim* miſit, ad ſuſtentandum bellum adverſus Turcas ; Et *Raimundus Lullius* Edwardo primo Angliæ Regi *ſex myriadas aureas* in ſacro bello Terrâ ſanctâ geſto expendendas miniſtravit ; quas ipſe in Æde Sanctæ Katharinæ propè turrem Londinenſem fecerat.

Ut verò clarè eluceſcat quàm minimi cœnodoxiam ſeu popularem auram æſtimarint Philoſophi, quàmplurimi eorum, qui libros ediderunt, ſua nomina ſcriptis non impoſuerunt : & qui cœnobia, monaſteria, noſocomia aut templa, vel alia publica fundârunt Domicilia (qualia inter eos multi ſtruenda curârunt) neque ſtatuas ſuas in ædificiorum frontibus ſpectari, nec ſua no-

nomina illîc legi vel cognoſci permiſerunt: illos magnopere delectabant opera religioſa propriis ſumptibus, licèt alienis nominibus, extructa; & aliorum famæ propagandæ inſervientia; privato plauſu abundè contenti, quem in conſcientiæ Theatro acceperunt.

Hoc enim (Chariſſime) tibi notum velim, quòd iſta myſtica atque (ut cum aliis Philoſophis loquar) Divina Scientia felicium Adeptorum pectora mentéſque cogitationibus & affectibus imbuit replétque valde ſupra Mundi hujus baſin aſcendentibus, ità ut ambitio, avaritia, cum reliquis paſſionibus plurimorum animas torquentibus & corrumpentibus, nihil vel parum Dominii in ipſos exerceant, ideóque pluris æſtimant Elixyris magni virtutes, ob perfectum corporis vigorem, & ſumam animi tranquillitatem miræ perſpicuitati conjunctam, quam illud conſtanter producit, quàm propter immenſas opes, quas ab eo ad libitum aſſequi poſſent.

Noli tamen dicta mea ſic interpretari, quaſi creditum velim, quòd Philoſophi theſauros terreſtres planè contemnant, nullámque partem argenti vel auri, ab hac beata Scientia in jus ſuum redacti, in propriis uſibus collocent; quidam enim in iis mundi regionibus de-

degunt, ubi liberè admodum & ſecurè auro ſuo frui queant, non tantùm ad uſus vitæ neceſſarios, verùm etiam ad ſatisfaciendum tum honeſtæ & ingenioſæ curioſitati, tum charitati & liberalitati ſuæ; nec deſunt alii, non in tam benigno viventes aëre, qui reconditas tutáſque vias & occaſiones inveniant argentum aurúmque ſuum diſponendi, quibus pretioſa ſibi comparent latifundia; quique vitas agant (demptis vitiis, quæ hujuſmodi conditionis viros plerunque comitantur) more magnatum. Hujus characteris homines apud varias gentes probè novi.

Hoc unicum mihi liceat addere, quòd Sapientum Lapis eximiam ab iis æſtimationem & amorem zelotypum meruit, non ſolùm ob potentiam aurum gemáſque faciendi, & ob facultates Medicas in corpora & animos mortalium efficaciſſimas, ſed propter effectus quoſdam magis ſtupendos. Quando enim Lapis, præcipuè animalis, artis ductu & Omnipotentis benedictione, ad ſubtilitatis gradum tam ſublimem, quàm ferre poteſt materia, perductus fuerit, operationes tam mirabiles edet, quibus nullus niſi teſtis oculatus credere audebit: ſumatim dicam, ubi mirabilia hujus magni Magiſterii acta, cum

ad

ad ſupremam perfectionem attolluntur; ità rapiunt evehúntque Philoſophorum affectus & animas, ut ſingulis hujus orbis rebus utantur, quaſi reverà non utentes; nihilque plenè in deliciis habeant præter mirificam Naturæ ſpeculationem, magnifique iſtius Dominæ Autoris adorationem, qui talem Scientiam homini, & tantam poteſtatem indulſit materiæ.

Nunc ergò (mi Amice) ſi tanta ſit Lapidis virtus, & effectus ejus tam mirabiles; quæ res nobis eluceſcunt; nil mirum, ſi ætatis uniuſcujuſque Philoſophi tantum ſtudium impenderint in celanda ejuſdem materie; probè intelligentes, quantum mali æquè ac boni per eam effici poſſet, ſi uſui publico proſtitueretur, aut in manus indignorum aut impiorum caderet.

Ob hanc unicam rationem operam ſolicitè navárunt, ut quibuſcunque modis & methodis materiam primitivam celarent, teíque veritatem obſcuris & ænigmaticis appellationibus tegerent & obfuſcarent; adeóque curioſos inveſtigatores hieroglyphicis tropis, allegoriis, ambagibus, enantiophaniis & diverſis onomatopœis, quæ à variis formis in ejus præparatione viſis ſumuntur, cruciant & confundunt. Quemadmodum

dum à nigredine in principio ſpectata, Corvum, Oleaſtrenſe, Picem, & quicquid aliud atro colore inducitur, appellant: ab albedine, quam ex ulteriore ſibi acquirit coctione, Cygnum, album Plumbum; cæteraque quæ naturâ ſuâ candeſcunt, nominant: à diverſis coloribus, qui vicibus intermediis apparent, Flabellum Pavonis, Iris: & hujuſmodi nuncupatur: à rubedine, quâ ultimò veſtitur, rubri Leonis, Minii & reliquarum rubicundi coloris rerum nominibus inſignitur: porrò à fœtore, quem initio præparationis emittit, Aſæ fœtidæ & aliorum putidè olentium corporum titulis diſtinguitur.

Sub his autem velamentis veritas eo artificio reconditur, ut ſtudioſis & prudentibus exploratoribus pelluceat; ſi modò normas iſtas, quas ipſemet propoſuiſti, obſervent, & divinam gratiam in conatuum ſubſidium animitùs implorent; ſinè qua ingens hoc myſterium intelligi, ſaltem acquiri, neutiquam poteſt. Ùtùt ſcripta Philoſophorum difficilia & myſtica videantur, hujus Scientiæ diſcipuli nihilominùs iis devinciuntur ob labores in compoſitionibus iſtis exantlatos, qui proculdubio amoris & charitatis erga illos gratiâ fuêre ſuſcepti: ſibi enim nec famam nec lu-

lucrum acquirebant ſcriptores, eò quòd tam nomina quàm perſonas celabant: ideóque quicquid fecerunt, omninò ex deſiderio proficiſcebatur, Ariadnæum quaſi porrigendi filum, quod filios artis per Chymiæ Labyrinthos duceret; ac eorum induſtriæ ſuccurrerent, quantùm poſſent; interim tamen ut Artem nudam profano non exponerent Vulgo, nec Dianam caſtam Potentum divitúmque libidini proſtituerent, qui maximè habiles ſunt ad procurandam ejus poſſeſſionem, ſi modò pecuniâ procurari valeat.

Quapropter cùm Philoſophi partes ſuas admodum egerint, Artis diſcipulos ſuas etiam agere decebit, videlicet laboribus & precibus aſſueſcere, ac intenſis meditationibus benéque perpenſis & aſſiduis experimentis (qui pro optimis iſtorum librorum comentariis habendi) eorum interpretationem proſequi.

Quoad contradictiones, quæ in Chymicis ſcriptis frequenter occurrere videntur, non ſunt reipſâ tales, ſi commodè intelligantur: primò enim cùm Lapis Philoſophicus res Naturalis ubique parabilis & vilis pretii à quibuſdam affirmatur; ab aliis res artificialis nullibi reperienda, nec ſinè magnis ſumptibus

bus acquirenda aſſeritur, interea ex utraque parte ſunt veraces, ſi diverſimodè, & cum differentibus granis ſalis accipiantur: quando enim originalis Lapis pro materia concreta, ex qua conſtat, ſumitur, rectè Naturalis dicitur, undiquaque tam in rebus parvi quàm ingentis momenti inveniendus: quando autem in ſtatu perfectionis conſideratur, pro immediato proprioque magni Operis Philoſophici ſubjecto, pari jure effectus artis vocatur, in rerum Natura nullibi habendus, nec ſinè magnis expenſis poſſidendus: eâdem diſtinctione contradictoriæ locutiones à variis Philoſophis circa Mercurium ſuum uſurpatæ, perſpicuæ fiunt, & ad concordiam reducuntur.

Secundò quidam aiunt Lapidem ex unicâ tantùm materia confectum eſſe, ſcilicet argento vivo; aliqui ex duabus; alii ex tribus; nec tamen inter ſe pugnant hæ ſententiæ, nam componitur ex ſulphure & Mercurio, quæ ambo unum ſunt; & quamvis ex tribus conſtare dicatur, individuis videlicet, Sale, Sulphure & Mercurio, in naturæ ſuæ puritate ſimplex eſt Mercurius, in externa ſolummodo ſpecie triformis: etſi enim ad noſtros uſus plura conferantur, ea tamen omnia in unam naturam debent

bent coaleſcere, priùſquàm idonea ſint, quæ noſtrum opus ingrediantur.

Tertiò ſunt Philoſophi, qui opus ſuum breve & factu facile prædicant; ſunt, qui clamant perlongam eſſe provinciam, & laborem Herculeum; à vero non recedunt, qui primam naturalis materiæ præparationem operoſam & tædio plenam aſſerunt, nec illi, qui præparati Sophicique ſubjecti coctionem promptum & expeditum negotium vocant: attamen differentes operationum progreſſus per accidens, his longum, illis breve opificium reddunt.

Quartò ſtatuunt quidam Lapidis Philoſophici materiam eſſe merè metallicam, alii tum vegetabilem, tum animalem affirmant, quæ diverſitas in ſpecie habetur, in re nulla eſt differentia: nam omnes veri & generales Naturæ ſpeculatores in hoc conveniunt, quòd Lapis è quolibet iſtorum generum ſubjecto confici queat, quòdque optimè ex tribus ſimul conjunctis efficiatur; quoniam verò Sulphur & Mercurius cæterorum duorum corporum neceſſariò reducenda ſunt in puram homogeneam & unctuoſam ſubſtantiam, (quæ eſt metallicæ naturæ conditio) antequam ad magnum opus accommodentur; ideò materies verè dici poſſit metallica, imò metallum.

Quintò nonnulli ferunt Elixir è Vitriolo ſolo formandum, quidam pro certo pronuntiant è Vitriolo illud nequaquam fabricandum; eadem poſſibilitas de diverſis aliis ſubjectis, tum animatis, tum ſenſitivis, tum mineralibus dogmaticè ponitur & opponitur: levis tamen diſtinctio diſſonas has poſitiones in concordiam ducet, nam ſuppoſito, quòd vitriolum ſit generoſa ſubſtantia, cujus penetralibus Mercurius noſter copioſè extrahatur, & de quo ſolo Philoſophicus fabricetur Lapis, Vitriolum tamen quatenùs vitriolum nequeat hunc efficere; neque ſulphur quà ſulphur, nec ſanguis quà ſanguis, nec oleum quà oleum, nec plumbum quà plumbum, nec aurum quà aurum aliqualiter conducere valeat ad illius productionem: interea *ſingulis* his *individuis corporibus* ineſt plùs minùs Natura *Mercurialis*, *ſpiritus Mercurii*, vel *ſemen Auri*, quod efficax & idoneum eſt ad hoc opus perficiendum.

Qua de cauſa *Mercurius* à Philoſophis non minùs quàm à Poëtis contentiones omnes ac *diſcordias caduceo componere* dicitur; quia univerſæ repugnantiæ & propoſitiones Philoſophorum oppoſitæ per expoſitiones à variis formis & conditionibus Mercurii (qui om-

omnibus rebus competit) ſumptas molliuntur & reconciliantur: adeò ut, ſi Philoſophantium ſcripta debitâ mentis vigilantiâ legantur, unáque ſententia cum alia, unúſque liber cum alio conferatur, unuſquiſque Naturæ ſcientiæ aliquantùm initiatus, noſtriſque libris exercitatus, veritatem in illis ſatis exploratam, non coacervatam, ſed diſperſam planè percipiet: quod hic Author omittit, ille continet; quæ in uno loco reticentur, in alio exprimuntur; nec ab iis aliquid ampliùs modeſtè ſperari poteſt: quippe ut Philoſophi latè ciſtas ſuas expandant, & imenſos theſauros ſingulorum licentiæ rapiniſque exponant, expectatio audiat inſolentiſſima.

Perpendant ignavi hujus Scientiæ fuci, qui melle gaudent alienâ operâ præparato, utrùm amorem & benevolentiam non ſufficienter exprimat, qui ſylvas aliis indicat, ubi convolat Phaſianorum & Gallinaginum copia; vel prata, quæ Coturníces, Perdícéſque frequentant? & quâ decentiâ vel modeſtiâ hirogare queant, ut in ſuum uſum captentur, coquantur, manducentur, & in os ingerantur, ut cibus præmanſus in majuſculorum infantum fauces farcitur? Pro certo ſciat diſcipulus, quòd ipſumet oportet Vulcanum agere, & ſortem ſuam

ſibi cudere, legere, ſumo ſtudio meditari, plurimum laboris exhaurire, nec non (quod difficilius eſt penſum multis, qui ſic appetunt epulas Philoſophicas, ac ſi picâ laborarent) fervidè precari, Deïque gratiam implorare, qui bonorum omnium largitor eſt, & ſecreta cordium cognoſcit, utrùm in probum aut improbum finem ipſorum deſideria colliment. Qui enim imenſum hunc theſaurum indagat, ut hoc modo paſſionibus animi ſatisfaciat, aut impiis corporis voluptatibus liberiùs indulgeat, conatus ſuos ad optatum nunquam perducet exitum; tales etenim nequit Natura, non debent Philoſophi, non vult inſtruere Providentia.

Quamvis enim generalis materia Lapidis ſit naturalis, operandique methodus per imitationem quotidianorum Naturæ operum peragenda, ipſumque opus ſit nihil aliud, quàm debita activorum applicatio ad paſſiva, materia tamen ſubſtrata, in qua imediatè inchoat opificium, eſt ſubtilis compoſitio Philoſophi manibus præparata. Et licèt per modicũ ſpatium oporteat eum ſequi Naturam, illi tamen poſtea neceſſarium erit eam tranſire, aliter nunquam ad metam ſuam perveniet. Decet tum ſeparare

res

res & conjungere, modis aliquibus, queis uti Natura per ſe non poteſt, adeò ut induſtria, ingenium & ſagacitas ſolo Naturæ ductu neqnaquam per omnes hujus operis mæandros aliquem dirigant: quantâ autem difficultate & quàm raro ſucceſſu opus hoc à ſcriptorum inſtitutionibus ad finem perducatur, triſti experientiâ norunt illi, qui in diutinis librorum lectionibus verſati, multa & magna experimenta ſinè fructu fecerunt: per quæ nihil reperiunt præter diſcrimina, & fruſtrationes penè inevitabiles unicuique in hoc opere occurrentia: addo, quòd opus ipſum à Philoſophis ferè redditur inſcrutabile: quippe de una locuti operatione, quando aliam intelligunt, aut omittendo ejuſdem principium vel medium, rimatores ſcientiſſimos miſerè confundunt.

Architectum iſtum, qui in anabathrorum ſtructura multos gradus malè cohærentes fabricat, aut in medio quoſdam prætermittit, vel propè faſtigium, præcipitium potiùs quàm rectum aſcenſum efficit, eodem modo machinari æſtimes, quo Philoſophi noſtri, qui proceſſus ſuos poſteris legendos tradiderunt: taliſque illa eſt ſcalarum machina, quam tu ità ingenioſè erexiſti: quot enim gradus in principio infectos reli-

quiſti ? quot alios poſtea priuſquàm ad apicem perveniſti ? diverſi ſunt hiatus inter purificationem & fixationem materiæ, quorum Teipſum ignarum eſſe non credo: nempe purificatio res eſt adeò difficilis, totidem tantæque inter purificationem & fixationem ambages, ut illi etiam, qui ſingula tam aptè explicata ad reddendum opus probabiliter facile & perſpicuum intelligunt, tandem confiteri cogantur, quòd abſque præceptoris adminiculo, aut ſpeciali Numinis gratia perfici non poſſit.

Gratis concederem (quod antea dictum eſt) Operis noſtri materiam rem eſſe naturalem, atque Naturam quotidie docere & oſtendere Tincturæ noſtræ præparandæ modum, per deſtillationes, ſublimationes, ſolutiones, purificationes & fixationes, quas ipſa continuò efficit; dato autem, quàm occulta ſit immediata materies, quàm in Naturæ conclavi, quod eſt omnium centrum, clauſa; & quantopere viæ ad eam perveniendi obſcurentur ſubtiliſſimis Philoſophorum conatibus & ingeniis; hoc item conceſſo, quali difficultate, & anxietate, quantis laboribus, expenſis & periculis circundetur, ſinè multæ facundiæ ope quilibet ad hanc fidem ſuadeantur, quòd Cœlum eximiam habeat hujus pretioſæ ma-

materiæ rationem, eámque in uſum ſolum piorum & prudentum reponat. Enimverò nequitiæ, quæ ab hac Arte perpetratæ eſſent, ſi vulgo cognita fuiſſet, pro quantitate & qualitate ſua iſtiuſmodi ſunt, ut illius publicatio in humani generis beneficium nullo modo cederet, nec cum Philoſophi officio conſiſteret; imò mihi perſuaſum habeo, quòd licèt imprudens & temerarius aliquis Artis hujus magiſter grande ſuum Myſterium nimis apertè propalaret (quod certè ab aliquibus factum fuit) illa nihilominùs ex una parte per difficultates, ex altera per hominum incredulitatem, in occulto jacitura foret: videtúrque non ſinè ſpeciali quadam providentia evenire, quòd non tantùm rude & illiteratum Vulgus, ſed Erudita quoque & ingenioſiſſima pars mortalium rem ipſam pertinaciter negant, Artémque tanquam vaniſſimam, & totius orbis ſtultiſſimam derident, abſque ulla facti examinatione aut ſcrutinio, utrùm ipſa res ſit quodamodo juxta Naturam poſſibilis.

In aliis controverſiis Viri ſobrii & judicio præditi conantur apprehendere, quid per ipſam rem intelligatur, priuſquàm ab albo entium eam penitùs exterminent; hèic autem diffidentia & pernegatio plerumque quæſtionis examen præcedunt.

Hoc præjudicium & incredulitas mille ab inveſtigatione, & ſcrutinio hujuſce ſecreti deterruit: cur enim illi, qui in India nullum aurum reperiendum autumant, longam illuc & periculoſam navigationem ad reportandum aurum ſuſciperent? Dubia certè illos circumſtantia, qui opus hoc aggrediuntur, priùſquàm rei naturam rectúmque procedendi modum intelligant, talia in ipſorum itinere projicient obſtacula, quæ conatus hæſitantium irritos reddant. Quomodo enim aliquis infirmæ & inſtabilis fidei in laboribus, ſumptibus, ſtudiis, vigiliiſque ſubeundis conſtantiam ſervaret, dum nullos alios effectus præter moleſtas dubitationes, & dehortantia videat infortunia? quæ à ſingulis expectanda ſunt, qui verâ materiâ rectóque operandi modo non ſunt probè inſtructi. *Pontanus* diſertè affirmat, *ſe poſtquam veram materiam cognoviſſet, ducenties tamen erràſſe, priuſquam opus ipſum compleverit.*

Sed filum hoc ſatis diu tetigi; Veſtrúmque *Epitheton ſarcaſticum* videlicet *Ænigmatiſtinubivagi*, à Te nuper & conſultò fictum, quò ſublimem ac myſticam Sapientûm obſcuritatem exprobrares, facilè ignoſco. Adeptorum enim eſt talia dedignari vocabula, non minùs quàm

quàm *gingrum*; aut (ut novum vocabulum Latinum vetere Gallico compellem) *nugicanoricrepi ruditum.* Ipſorum ſanè famam non maculabunt hujuſmodi contumeliæ, quoniam tum ad perſonarum ſuarum, tum ſecretorum conſervationem neceſſarium eſt, ut in nubibus ambulent; neque ipſorum ſcriptis vitio verti debet, quòd vulgi captum & intellectum ſuperant. Præterea ſui amoris erga virtutem, probitatem atque induſtriam argumentum eſt, quòd Arcanum hoc populo non communicant; & ingenioſæ ſubtilitatis documentum, quòd tenebris illud mandare poſſunt, quando ejus materia tam communis viliſque ſit, illiúſque operatio adeò ſimplex & facilis, ac quotidianæ operæ Naturæ tam conſentanea: Adhæc totum myſterium à quibuſdam imprudentibus ità planè indicatum eſt, ut Philoſophorum Artus & ingenia magnopere exercuerit, Secretum hoc à percontantium ſed malè merentium, notitia ſervare; quare *Lullius* magnus ille Philoſophus ait, quòd *noſtrorum librorum compoſitio nihil aliud eſt, quàm ſagacis ingenii ſubtilitas ad noſtram artem celandam:* hoc autem facere non potuiſſent, niſi materiam & operandi modum ſub denſis ænigmaticorum ſermonum

num velis recondidiſſent, & humana ingenia æquivocis vocabulis ac antiφphoniis perturbâſſent.

Fateri non dubito, quin aliquæ contradictiones in quorundam Adeptorum ſcriptis reperiantur, quæ Veſtram correptionem mereantur; quia non ſolùm hujus Artis Candidatos torquent, ſed Naturæ quoque injuriam afferunt; & ab ea derogant, eò quòd ipſam minùs amplam & beneficam, quàm reverà ſit, pronunciant: quidam enim confidenter aſſerunt, ſecretam materiem in nullo ſubjecto, præter Aurum & Mercurium, reperiendam; profitentur alii, quòd tantùm in vitriolo lateat, in quo ſubjecto cum ſucceſſu laborârunt; nec deſunt qui Antimonium Hermeticæ ſcientiæ & operationis fundamentum ſolum ſtatuant; imò penè unaquæque res, quæ ab aliquibus hujuſce magiſterii materia dictatoriè nuntiatur, ab aliis pari fiduciâ & cum ſpecie quadam rationis pernegatur; ſingulis eorum ſententibus, quòd non alia duceret ad Corinthum ſemita, præter eam, quam ipſi terebant.

Hoc autem accidit, (ſicut à Teipſo ſagaciter obſervatur, & peracutè exprimitur) *eò quòd intra tam anguſtos Scientiæ limites incluſi erant, ut planè neſciverint, quid univerſa Natura proferat, quan-*

quanta inter eſſentias omnium rerum præcipuè mineralium cognatio exiſtat, & quàm latè ab ipſa Natura jacta ſint ſolidiſſima Chryſopœiæ fundamenta. Unde patet, quòd non ſolùm ſubtiles plurimorum conatus, ſed quorundam quoque Adeptorum ignorantia hanc Artem obſcuravit, adeŏque moleſtam reddidit, ut ſinè Præceptore vel Revelatione non ſit acquirenda.

In hoc themate non opus eſt, ut diutiùs immorer, de quo prout de aliis Ipſemet tam accuratè diſſeruiſti; ac certiſſimè ſuprà omnes alios, qui unquam ad cognitionem meam venerunt: ideóque heïc coronidem impoſuiſſem, ſi particulares ſolutiones quæſtionibus quibuſdam Epiſtolæ tuæ annexis non impetrâſſes, quas nunc, quâ licet perſpicuitate, ſubnectam.

De Materia Lapidis.

2. Quoad Lapidis Materiam Tu ipſe, qui tam bellam de ea deſcriptionem feciſti, illámque tam ſagaciter uſque ad fontem inveſtigâſti, non potes eſſe quæſtioni propriæ reſpondendi prorſus impotens. Quippe probè noſti, quòd ea ſit *Cœli, Terræ, omniúmque Elementorum virtus*; adeŏque per totum orbem dif-

diffuſa, rebúſque ſingulis eſſentiális, ut nihil unius momenti ſpatium ſinè illa permanere poſſit. Per eam lætatur Sol inſtar Gigantis curſum ſuum perficere, per eam diem gubernat, & calorem maculum cunctis impertit; per eam Luna noctem regit, & humiditatem feracem telluri demittit; per eam nubes adipem deſtillant, humúſque fructus tempeſtivè parturit; aëris volucres, maris piſces, terræ pecudes illam tibi afferunt; Adamus illam in mundum ſecum tulit, & moriens in ſepulchrum ſuum duxit; nec viliſſima mundi creatura, nec ullum elementum hâc igneâ vacat eſſentiâ, & hâc ſubtili terrâ, quæ ſimul conjunctæ *viſcidam & oleoſam componunt Aquam, quæ eſt materia noſtri Magiſterii*, ità ut jure dici poſſit res parvi pretii, quia tam vulgaris eſt; ſimúlque pretioſiſſima judicari, ob miram ſuam poteſtatem & acquiſitionem arduam; tegitur enim & obſeratur in omnium concretorum centro, adeò ut nec humanum ingenium ſinè induſtria & expenſis, nec opes & labores ſinè divina benedictione illam unquam inveniant aut acquirant: nihilominùs ſinè magna difficultate è multis Univerſi rebus vulgari deſtillatione extrahitur, *ſicut oleum è vegetabilibus & animalibus educitur.* Niſi verò Ars ele-

elementa ſeparandi benè intelligatur, & niſi modus extrahendi *aquam ex aëre, aërem ex igne, ignem è terra cognoſcatur, in Chemia parum aut nihil efficies*; ſi verò iſtius Artis ſis peritus, nimirum dividendi quatuor elementa juxta Sapientûm doctrinam, facilè eadem purificare valeas, & proportione geometricâ jungere, eóque modo digerere, ut viſcidam igneam efficias Aquam, quæ materia eſt, de qua quæſtionem inſtituis.

Hæc Aqua, dico, unctuoſa in quolibet eorum compoſitorum reperitur, quæ vocantur elementa; nam ùt rectè aſſeris, poſt diviſionem materiæ, è qua conſtabat Chaos, & primam rerum omnium concretionem, quæ ornatum hunc mundum conſtituunt, *nullum* extitit *ſimplex elementum, unoquoque ſingulari cætera tria in ſe plùs minùs complexo*: hæc autém noſtra materies cùm ſit ætherea & cœleſtis ſubſtantia, cum ſubtiliſſima tellure conjuncta, in *Elemento Ignis præcipuè* reperitur, unde Philoſophus illam petere debet: *luminoſa* equidem *ſubſtantia eſt*, imò verè *ignis per deſtillationem accendendus*.

Neceſſarium tamen eſt, ut ille hanc igneam aquam, manuali ac artificioſâ operatione, in metallici ſulphuris condi-

ditionem reducat, quod valde purificatum, & ab omni fæce, cunctáque tum aquoſa tum terrena redundantia liberatum auro inſeparabiliter unietur, ejúſque tincturam dilatabit & multiplicabit. Hoc *Sulphur ſcalida & ſicca pars noſtri argenti vivi*, quatenus diſtinctè conſideratur ab oleaginea ſua humiditate, quamvis ambo realiter unum & idem ſunt, atque unica ſolùm materia, tam à vegetabilibus & animalibus (utî priùs dixi) quàm à mineralibus habenda: utcunque hoc addendum eſt, quòd iſte Mercurius Alchemiæ non ſubſerviat, quàmdiu in vegetabili aut animali ſtatu permanet: quapropter hoc ſulphur, (vel oleoſitas) fieri debet metallicum, quod effici non poteſt, niſi aprimè purum & unctuoſum reddatur, quod repetitis putrefactionibus, deſtillationibus, & ſeparationibus exequetur Chemicus; his enim artibus artificioſè præſtitis ad ſummum puritatis & perfectionis gradum redigitur: & tunc primum Philoſophi opus, ac primitiva materiæ præparatio expletur.

Hèic verò Te monitum velim, quòd *puræ oleoſitatis confectio magnum* & ænigmaticum eſt *hujus artis myſterium*; perficitur tamen per liberationem ſolam ab omni tum terrena tum aquoſa fæcula &

ex

exceſſu. Cunctis liquoribus corroſivis, qui vocantur aquæ fortes, aliquid ineſt puræ oleoſitatis, per quam auro vigorem addere, ejúſque tincturam augere valent: in hunc finem illis utuntur Philoſophi: nam acutæ & penetrabiles aquarum fortium partes, ad intrandum & attenuandum aurum aptiſſimæ, iſtam oleagineam & unctiuſculam eſſentiam in partes interiores vehit, adeòque primam ejus reſolutionem peragit; quæ cùm ab auro per deſtillationem retrahitur, iſtam oleoſitatem poſt ſe relinquit, quæ reddit illud magis idoneum ad intimam diſſolutionem per mite quoddam, *homogeneum* & *permanens menſtruum*, quod quidam eſt *vegetativus liquor*, mirâque hinc potentiâ prædítus ad augendam ac multiplicandam metallorum tincturam: vegetativa enim & animalia diſſolventia vim ſuam corroſivo debent, & Philoſophorum multi expeditam ſuam magni Operis peractionem eidem attribuunt. Quippe Antiqui aquarum fortium uſûs ignari tardè & moleſtè opus ſuum perfecerunt; poſtquam verò aquarum harum poteſtas & exercitium illis innotuit, diebus aliquot illud præſtiterunt, quod antea non niſi annorum ſpatio præſtare potuerunt; & pro hac re Chimiæ diſcipuli *Paracelſo* magis obligantur, quàm igna-

ignari vel ingrati ſolent agnoſcere. Hæc autem ecbaſis utî ſpero non videbitur illis importuna, qui libenter cognoſcerent, quid pura ſit oleoſa natura, & quomodo poſſit acquiri.

Deſideras autem intelligere, ubi Philoſophici Lapidis materia in tali diſpoſitione & quantitate reperiatur, quæ conatus & induſtriam in hac arte ſtudentium invitet. Optimè obſervâſti ex Hermeticorum Chymicorum ſcriptis, quòd *Homo ditiſſima* eſt hujus Mercurialis Sulphuris aut *Phyſicæ Materiæ fodina*; ab iiſdem etiam diſcas, in qua parte iſtius fodinæ optimum & copioſiſſimum ſulphur contineatur. Peritus ille Philoſophus *Baſilius Valentinus* dicit, eſſe in Microcoſmo noſtro limbum ſive globum viſcidum terræ, qui emergit ex aqua quadam percraſſa, quæ in ſe habet, quæcunque ad totius operis complementum neceſſaria, omni amoto extrinſeco.

Et *veſtras Ripleius* dogmaticè refert, quòd *Lapis noſter* (ſive materia) *qui generatus eſt in terra ingenioſa, & in vere, ubi ſol eſt in Ariete, turget, vegetat ac volare incipit, debet extrahi in ſua minera integra non corrupta per hominem Martialem.* *Haimo* etiam, ut, quâ fas eſt, claritate locum indicaret, quo facilè viliſque pretio appetibilem Philoſophorum ma-

te-

teriam aſſequantur, ſic filios artis alloquitur, *ite ſecretè & moroſè cum magno ſilentio, & accedite poſteriora mundi,* (ſcilicet parvi) *& audietis tonitrum ſonantem, ſentietis ventum flantem & videbitis grandinem & pluviam in terram cadentem; & hæc eſt res, quam deſideratis, & quæ valore ſuo omnes Lapides montium mineralium in artificio Alchemiæ præcellit:* quibus adumbrationibus promptè concipies, ubi maneat præclara noſtri auri baſiuca, & unde copioſè poſſit effodi.

Periculum circa præparationem hujus animalis materiæ (quod Te ab hoc opere aliquatenus deterrere video) non opus eſt, ut paveſcas, ſi modò *Medeæ* conſilium ad *Jaſonem*, quando illi cum flammivomis tauris arandum erat, ſequaris; videlicet *ut non adverſo vento araret, ne vis flammarum in ipſum ferretur*: nullus dubito, quin Veſtra inſignis in negotiis chymicis intelligentia, ſedulâque cura conflagrationes iſtas, quæ per oſcitantiam contingunt, præveniat: ſagáxque & mechanicus Tuus Genius tales excogitabit ampullas vitreas, inſtrumenta, & operandi cum iſta materia methodos, quibus evitare poſſis penetrantes & pernicioſos halitus, qui unquam ex illa oriri poſſent, in viſûs, ſanitatis, aut vitæ tuæ diſcrimen. Heïc obſervan-

dum eſt Tibi, quòd *viridis & vegetabilis noſtri argenti vivi ſubſtantia eſt Baſiliſci Philoſophici pabulum*, quòdque non ſolùm animalis, ſed mineralis item vegetabiliſque materia, noxios in præparando vapores exhalabit; ideóque in horum etiam ſubjectorum præparationibus cura eſt adhibenda, ut ſubtiles & inſalubres Mercurii exhalationes evitentur; nam materia Philoſophici operis eſt Mercurius.

De Mercurio Philoſophorum.

3. Novi autem, quòd ominari non potes, me jam de communi Mercurio vel argento vivo ſermonem inſtituere; noſter enim Mercurius ſive in naturali ſtatu & conditione, ſeu (quatenùs præparatus eſt ad magiſterium noſtrum,) artificis manu aptatus conſideretur, à vulgari plurimùm differt. 1. Vulgaris in aliquibus tantùm locis terræque mineris invenitur; Noſter ubique habitat, quia omne in orbe toto concretum corpus aut elementum illo indiget. 2. Vulgaris eſt Naturæ filius, ſub Dominio & influentiis Mercurii Planetæ ex humore unctuoſo & ſubtili terra generatus & productus; Noſter eſt Artis filius, ex duabus ſalinis ſubſtantiis, quæ can-

eandem radicem ſtirpémque ſortiuntur, operâ Chemiſtæ obſtetriciâ natus & productus. 3. Communis S. vulgaris Mercurius cùm per amalgamationem aliorum metallorum ſubſtantiis jungitur, differentium metallorum naturas & qualitates in ſe non recipit, nec proprietates adeò communicabiles, quales Mercurio Planetæ competunt, retinet; (ille enim, nempe Mercurius Planeta, cunctorum Planetarum, cum quibus in conjunctione aſpicitur, naturam & qualitates ſumit) Noſter verò ſingulorum mineralium (hæc enim ſunt inferiores Planetæ) corporúmque miſtorum, cum quibus miſcetur, naturam admittit. 4. Vulgaris eſt ſubſtantia fluida, quæ ſuper planam ſuperficiem movetur & currit; Noſter (in cujus compoſitione qualitas terræ qualitatem aquæ tranſcendit) eſt arida res, vel, ùt Philoſophi appellant, *ſiccæ & coagulatæ ſalſæ naturæ aquæ.* 5. Vulgaris eſt frigidus & humidus; Noſter calidus & igneus. 6. Vulgaris ſubtilior & volatilior redditur, quò magis deſtillatur; Noſter per coctionem & deſtillationem denſior fit minúſque fluxilis. 7. Vulgaris poſt deſtillationem res eadem quæ antea fuit, videlicet Mercurius remanet; Noſter per lenem deſtillationem in aquoſum ſpiritum fixámque terram

convertitur. 8. Vulgaris nigro & combuſtibili ſulphure contaminatur; Noſter in ſe habet candidiſſimum, rubicundiſſimum, fixum & incombuſtibile ſulphur. 9. Per vulgarem corpora metallica fiunt nigra; per Noſtrum dealbantur, & ad candorem metallicum perducuntur. 10. Vulgaris vitiat & deſtruit univerſa: Noſter producit & vivificat omnia, verèque *cunctorum* eſt *Humidum Radicale*. 11. Vulgaris niſi priùs putreſcat, & in primam reducatur materiam, à ſuo corpore nullum ſalem præbebit; Noſter in viſceribus ſuis tum album tum rubrum ſalem continet, & realiter totus eſt ſal à ſalinoſo fonte profluens. 12. Vulgaris eſt naturæ metallicæ, verèque liquidum & fluidum metallum; Noſter quamvis poſſit ſoleátque (propter principia, quibus conſtat) appellari metallicus, reipſá tamen non eſt magis talis, quàm vegetabilis aut animalis; eſt enim *aëreus, aqueus, igneus, terreus*. 13. Vulgaris autem non eſt ipſum ſemen metallicum, ſed ab eodem vel ſimili ſemine metallico, quo cætera proferuntur metalla, producitur; & eſt *fructus metallicus*, ſicut alia ſingula metalla; Noſter eſt proprium non tantùm metallorum reliquorum, ſed ipſius argenti vivi ſemen. 14. Vulgaris nec aurum nec argen-

argentum ſolvere, nec cum iis aliàs incorporari poteſt, quàm ità, ut ab iiſdem maneat arte ſeparabilis; Noſter verò penitùs & radicitùs tum aurum, tum argentum ſolvit, & cum illis tam intimè unitur, ut fiat unicum individuum, & in perpetuum inſeparabilis, qua de cauſa vocatur *aqua permanens*. 15. Ex vulgari per ſe aurum argentúmque nullis artibus elici poteſt; Ex Noſtro in ſe tincturam tum albam tum rubram poſſidente, utrumque per operam pyrotechnicam conficitur. 16. Vulgaris ſeipſum non ſolvet nec congelabit, nec per ſe ad Elixiris perfectionem provehetur; Noſter ſeipſum diſſolvit, ſeipſum coagulat, & abſque ullo additamento per ſimplicem coctionem ad Elixiris ſupereminentiam aſcendit, veráque Sophorum veterum tincturæ; ad perfectionem non ſolùm aliis metallis, ſed & ipſi Mercurò impertiendam habilis.

Catholica & mutabilis natura, & attributa phænomenáque hujus Mercurii varia in cauſa fuerunt, cur Antiqui quàmplurimis rebus illum compararent; eidémque diverſa imponerent nomina; unde magni errores, & diuturnæ hallucinationes apud ejus inveſtigatores oriebantur, multáque temporis & pecuniæ jactura inſequebatur; qua de cauſa for-

ſan Mercurius ingenii Tui animadverſionem non immeritò ſubiiſſe videatur. Attamen (Domine) Te monitum velim, quòd Antiqui non ſinè ſumma ratione à Natura rei deſumpta, differentes iſtas appellationes illi inditas aſſignârint; & juſtis de cauſis ab eminente vi atque poteſtate rei depromptis, ejus aſſecutionem difficilem & abſtruſam reddere conati ſint; quod quidem efficaciter fecerunt.

Utcunque ut deſiderio Tuo ſatisfacerem, in hac deſcriptione tum vulgaris tum Sophici Mercurii, naturam ejus rei, quam Mercurium vocamus, ſufficienter explicui, adeò ut pluribus verbis non ſit opus; licèt de ea re nimiùm eloqui non poſſim, quæ uniuſcujuſque præcipua pars eſt, exiſtentiæ & creatorum omnium vitæ neceſſaria, quoniam certiſſimè cunctorum eſt humor radicalis. Humiditas eſt, quam nullus conſumet ignis; Oleum, quod non ardebit; Aër à terra productus; & realis Terra, non qualis ſub pedibus calcatur, ſed ejuſmodi, quæ aſcendit ſupra capita; quam nullus exſiccat calor; eſt enim liquor ſulphureus, qui noſtrum auget ignem, ejuſdémque eſt materies, *veluti Lampadis oleum ſit Lucis materia*; liquor ex ſubtiliſſimis Naturæ partibus confectus: ignis, qui nulla conſumet, ſingula fovens nutriénſque:

que ; ſal pinguis, tam verè ſiccus, ut manum non humectet, interim adeò humidus, ut omnium Univerſi ſalſorum liquorum ſit fons ; liquor, qui propriè appellatur noſter Lapis.

De quo ſi magnum Elixir efficere velis, aut metallorum & hominum Medicinam, neceſſe eſt, ut priùs illum in *ſubſtantiam oleo homogeneo ſimilem* convertas ; deinde poſtquam corpus hoc luminoſum putrefeciſti, opus eſt, ut in humores quatuor permutetur ; denique humores iſti in purum ſulphur tranſmutandi ſunt ; ſulphur ſcilicet, cujus humiditas in igne creſcit : fitque coctior & maturior Mercurius : Noſter enim Mercurius ac Sulphur ſunt una eadémque res (proùt optimè annotâſti) *eo modo differentes, ùt ignea corporis humiditas ab ejus calore & ſiccitate diſtinguitur.* Hoc Sulphur ſive Mercurius (ad libitum nominandus) in cunctarum rerum ventre vel centro abſconditur ; & quandocunque res ulla ad perfectionem perducitur, apparet, & non impropriè *iſtius rei Aurum* appellatur ; noſter enim Mercurius Aurúmque ſunt idem.

De Philoſophorum Auro.

4. Credendum eſt igitur, quòd Aurum Noſtrum, non eſt idem cum metallo com-

muniter ſic vocato; *habent* enim Hermetici *Philoſophi ſecreta ſua metalla*, de quibus intelligendi ſunt, quando de metallo loquuntur, cum reſpectu ad magnum opus ſuum, ac non de communibus metallis. Verum eſt, quòd tria ſunt inter Philoſophos auri genera, *Aſtrale*, *Elementale* & *Metallicum*. 1. Aſtrale eſt illud purum & igneum ſal, quod Sol per potentes radios in Aſtris producit, vehitúrque cum iſtorum Aſtrorum effluviis huc illuc per totum firmamentum. 2. Elementale eſt illud ſal purum & fixum, quod per Naturæ ignem in quovis corpore ex elementis compoſito, imò & in quovis elemento generatur. 3. Metallicum, cuilibet notum, plùs ab ambitioſis & avaris quàm Philoſophis diligitur; quamvis enim aurum vulgare aperire poſſent & crudum reddere, adeò ut operis ſui materia fieret; ſemper tamen altera duo genera præcipuè ambiebant, tanquam ſubjecta ſuis operationibus aptiora, & magnorum ſtupendorúmque effectuum auro communi capaciora.

Quapropter adoranda eſt Creatoris bonitas, qui Noſtrum Aurum & Argentum auro argentóque vulgaribus communiora fecit, ibíque reperienda collocavit, ubi noſter Mercurius ſeipſum oſten-

oſtendit : ſunt enim reipſâ nihil aliud, quàm rubræ candidæque noſtri Mercurii partes fixæ, per quas volatilis ac fugax portio fixa ſimul & permanens redditur : idcirco dixi, quòd noſtri Mercurii & auri eadem eſt materies. Oleum verò ſive Sulphur in auro meliùs concoquitur quàm illud, quod eſt in Mercurio.

Aurum Argentúmque Noſtrum unguinoſæ ac liquidæ ſunt ſubſtantiæ, ambo eodem corpore, quo latebant, extracta, cruda & imperfecta à Natura illic relicta; cùm verò ab arte exactè purificata & concocta ſunt, millies efficaciora & potentiora fiunt, quàm vulgare aurum, quod mortuum eſt, & in duræ concretionis tumulo ſepultum, ubi Natura, poſtquam ad ultimum virium egerat, illud reliquit ſinè ulla capacitate ad altiorem perfectionis gradum aſſurgendi, ſeu vilioribus ſubſtantiis perfectionem impertiendi, niſi priùs ad primogeniam & crudam conditionem reducatur; vel ad Auri Noſtri naturam; quæ eſt humida ſubſtantia, aperta, viridis, vitalis & vegetativæ poteſtatis, & ut altiùs altiúſque exaltetur aptá, donec ſuperlativam induat energiam longè ſupra vim humanam; cujus debiles & circumſcriptæ facultates Noſtrum Aurum

ad

ad tam mirabilem altitudinem provehere nequeunt, ad quam ſua creſcens & multiplicativa natura ſeipſam çontinuò extollere poterat. *Abſque tali auro* (quicquid vani garriunt jactatores) *verum Aurum potabile non eſt conficiendum.*

Novi jam, quòd ignari (& inculpatè faciant) mirabuntur, quòd egomet ſtupendam hanc materiam, quæ vocatur Aurum, vilem, communem & unguinoſum liquorem pronuntio: Tu autem, cui noſtra metallurgia non eſt omninò incognita, me tantùm interrogas, ex quo Monte Sal hoc aureum copioſiſſimè effodiatur: Pro me reſpondeat *Ripleius*, qui enunciat tibi, quòd *Mercurius noſter optimus* (vel æquipollente vocabulo noſtrum optimum Aurum) nobis *advehitur in pellibus de monte Peſſulano*; Verùm ad inveſtigatorum diligentum ſolamen dicere liceat, quòd non ſolùm *India*, vel (ut propiùs patriam ducaris) *Hungaria*, ſed veſtra quoque *Britannia* ditiſſimis ejuſdem fodinis abundat; at virgula divinatoria, per quam iſtæ ſodinæ rimari poſſunt, debet eſſe metallicæ naturæ. Intelligo, quòd aliqui Medici de dentibus aureis, qui in Sileſiani pueri ore creſcebant, prolixè ſcripſerunt; potuêre tamen cum majore veritate, copia & elegantia de Noſtro Auro diſſe-

ruiſſe,

ruiſſe, quod in cujuſque hominis viſceribus creſcit, imò in illius qualibet parte, ſed in aliquibus copioſiùs, quàm in cæteris, ùt à me priùs dictum, & à Te ipſo agnitum: hoc autem certiſſimum & perſpicuum eſt axioma, quòd *ex quacunque materia Noſtrum acquiritur Aurum, iſta materia Philoſophorum Mons nuncupatur.*

De Monte Philoſophorum.

5. Hæc materies ideò Mons noſter vocatur, quia ſulphura noſtra candidè & rubicundè tingentia (quæ ſola ſunt Sapientum verum Aurum & Argentum) in illo copioſè generantur, & ab illo extrahuntur arte & labore prudentis Metallarii.

Et hoc mihi liceat aſſeverare, (non obſtantibus facetis tuis dicteriis) quòd in noſtris montibus pretioſior lateat theſaurus, quàm in omnibus totius mundi montibus; quoniam non tantùm immenſa & inexhauſta quantitas auri & argenti, ſed etiam gemmarum naturales abundè tranſcendentium, ab iis obtineri poteſt. Hi *Montes* ſunt *Salinoſa natura*, ſalſâ ac *unguinoſâ humiditate ſcatentes*, quæ humiditas eſt Mare Philoſophorum.

De

De Philoſophorum Mari.

Ex his enim Salis montibus (ferientе petram Philoſopho) unguinoſæ vel pinguis aquæ perennis & copioſus emanat amnis, qui totos montes humectat, nec unquam calore Solis exiccabitur, aut ullis rivis, qui ab eo derivari queunt, exhaurietur. Hæc Aqua propter abundantiam auri, quod in fluento ſuo vehit, ſummas laudes & eulogia Philoſophorum meretur, multò magis quàm *Tagus* & *Pactolus* ſublimia Poëtarum præconia meruêre: nec impropriè vel immeritò Noſter nominatur *Oceanus*, quia per omnia diffunditur, eò quòd eſt omnium Univerſi concretorum radicalis humor: ſatis aptè ac ingenioſè *Mare Mediterraneum* appellas, quia Terræ Noſtræ ſal ſalſi montis pertranſit centrum.

Ingentis hujus Maris poſſeſſio magni momenti à Philoſophis æſtimatur, ideóque apud eos in ſummo pretio habetur, quia pingui quodam genere piſcium abundat, (à Teipſo benè obſervatorum & deſcriptorum) quos aliqui vocant *Echeneidas* aut *Remoras*, quoniam celſarum & turritarum navium, quæ in Noſtro Mari natant, motus impedire illáſque detinere valet: Iſtæ Naves altæ (ut ſinè fuco loquar) ſunt volatiles Mundi

Spi-

Spiritus, qui in Noſtro Mari fluctuant, & à ſale, quod inſitum eſt in iſta aqua marina, retinentur & figuntur: eaque de cauſa Piſcis ille tanto eſt in honore apud Philoſophos, quoniam *ab illo ſuum Vegetabile Menſtruum, vel Aquam Vitæ deſtillant.*

De Philoſophorum Aqua Vitæ.

6. Noſtra videlicet Aqua Vitæ ſeu Vegetabile Diſſolvens à pingui unguinoſa materia extrahitur, & quamvis de communi ſpiritu vini fiat, nunquam tamen fiet, niſi cum alia vegetabili natura conjungatur & uniatur, *quæ Trifolii characterem exhibet*; ideóque ab aliquibus *Noſtrum Trifolium* nuncupatur; ab aliis *Vvæ Noſtræ*, quia vinum præbet tam mirabile. Nunc autem ut ingenuè fatear, hæc Aqua vitæ eſt *Oleum purum, quod inſtar communis aquæ ardentis deſtillatur, nihilque poſt ſe in deſtillatione relinquit, ac eſt incombuſtibile.*

Hoc clarum & ſubtile Oleum noſter eſt Mercurius præparatus, terræque noſtræ vel ſalis ſoror naturalis; quam Oleum hoc, ſeu Mercurius, amantiſſimè amplectitur, promptiſſimè diſſolvit, ſéque cum ea inſeparabiliter unit: intima hujus ſpiritûs cum ſale unio quendam

dam illi volatilitatis gradum impertitur, adeò ut unà ſublimari queant; quo pacto incomparabilem illum *Salem Ammoniacum*, aut *Sulphur album Naturæ*, quæ *Noſtra* pulchra nominatur *Diana*, conficiunt.

De Philoſophorum Diana.

7. Hanc nudam in conſpectum Tuum, ac in fonte ſuo ſe lavantem, exhiberi Te cupidiſſimè velle ſentio; nôſti autem, quomodo cunctæ Nymphæ in fabula eam circumcinxerint, ut illam tutarentur, ne ſic ab Actæone conſpiceretur. Idem omnes agunt Philoſophi, qui ſummâ ope ſtudióque nituntur, ut eandem ità velo tegant, ne cuiquam, multò minùs laſcivis & mollibus exponatur.

Quod ad Teipſum ſpectat (mi Amice) priùs narravi, quibus obligationibus obſtrictus tenear, per quas inhabilis reddor demonſtrationi, quàmcunque promptum me ad honeſti deſiderii Tui gratificationem magna mea Virtutis Tuæ opinio, & erga Tuam amicam & generoſam Indolem benevolentia faceret: perſpectum tamen habeo, quòd ex diligente tua Philoſophicorum ſcriptorum lectione, ſagacibus obſervationibus,

bus, & operationibus experimentalibus, tantam hujus myſterii partem jamdudum cognôſti, ut vix dubitare poſſim, quin, ſi in Chemicæ Sapientiæ ſcrutinio perſiſtas, Deúſque conatibus tuis clementer aſpiret, illud, quod tantopere deſideras, opportuno tempore penitùs intelligas.

Hoc mihi dicere conceditur, quòd Fons, in quo Diana Noſtra ſe madefacit ac lavat, nihil aliud eſt quàm noſtra Aqua vitæ, in qua *Sal & Sulphur album Naturæ* id eſt *Diana Noſtra* diſſolvitur, & per digeſtionem mirè pura & potens redditur. Hæc Aqua vitæ hoc modo efficitur. Sume ſelectiſſimum Sulphur, quod eſt valde acidum, optimúmque Mercurium, qui eſt valde oleoſus, accuratè fæculentiam omnem terrenam per ſublimationem aut deſtillationem remove, Mercuriúmque valde purum & ſubtilem communi ſale, vitriolo, aut utroque ſimul, effice: quando ſic purificantur, illa reſolvas, & in unum reducas ope aquæ deſtillatæ. Deinde, poſt debitam fermentationem & digeſtionem, clarum & uniformem liquorem habebis, qui eſt Noſtrum Vinum.

Sume Vinum hoc, illúdque putrefac in fimo equino triginta dies, aut in bono vaporoſo Balneo, ut elementa citiùs

&

& meliùs ſeparentur: poſtea in idoneum vas vitreum pone, & ardentem aquam ab eo deſtilla, quæ rectificari debet, donec totum comburendo evaneſcat, & quamlibet particulam lini aut goſſipii in ea tinctam inflammet. Interea cum vino procedas, phlegmaticam ab eo partem deſtillans, donec ſola remaneat quædam inſtar liquidæ picis ſubſtantia. Phlegma hoc ſuper liquidam picem bis cohoba, illud deſtillans moderato calore in Balneo; tunc capiens reſiduam materiam, funde ſuper tantam ardentis aquæ rectificatæ quantitatem, quæ tres aut quatuor pollices ſuper eam aſſurgat; & materiam potenter concute, ut illa benè uniantur.

Tunc Spiritum in Balneo calore lento deſtilla, materiam humidam in fundo ſimilem limo relinquens: iſtam humidam materiam in putrefaciente calore ſex dies pone, poſthac ſpiritum remanentem in cineribus deſtilla. Deinde recentem ſpiritum materiæ in fundo adde, & denique pone in calore putrefaciente ſex dies, ùt antea; poſtea ſpiritum animatum in Balneo deſtilla, & priorem curſum repete, donec ſpiritus animam ab iſto corpore extraxerit, quod factum eſſe judices, ſi terram aridam & ſiccam invenias.

Su-

Sume hanc terram (poſtquam eam ponderâſti) & in vas vitreum pone digeſtioni aut circulationi commodum, & addas illi octavam ſpiritûs animati partem, & tunc circula, donec totum ſpiritum à terra videas exhauſtum: dein aperi vas circulatorium, & impone alembicum, & extrahe parvam humoris quantitatem, qui ab eo procedet, & communis aquæ ſaporem poſſidebit: tunc infunde ſeptimam partem animati ſpiritûs, iterúmque cæcum caput impone, & digere ùt antea, donec totum ſpiritum exhauſtum cernas, deinde fac ùt antea; & infunde ſextam partem, & tunc fac ùt priùs; dein quintam partem, poſtea quartam, eandem methodum obſervans, donec terrena materia per animati ſpiritûs imbibitiones fiat candida: tunc materiam hanc albam aut terram ſume, & in idoneum vas repone, (quod oblinere debes ad altitudinem, ad quam aſcendit materia) & quod à fæcibus exſurget, ſublima.

Hoc ſublimatum eſt Sulphur album Naturæ, noſtrum Sal Ammoniacum, noſtra pulchra & pinguis Diana, quam ſi ſpectes in ſuo balneo, ſume & trutina, ac pro qualibet ſui corporis libra ſume tres rectificati ſpiritûs libras, ſive balnei aquæ, eámque in iis pone, ut in

balneo vaporis viginti quatuor horas madefiat; tunc humiditatem in cineribus deſtilla, per calorem ſolari calori ſimilem, & ſublimatum remanens pondera, eique adde tres partes rectificati ſpiritûs, ùt antea, eáque putrefac viginti quatuor horas in balneo vaporis, ùt antea, cuncta quater repetens, uti priùs; quo temporis ſpatio totum ſublimatum cum ſpiritu unitum deſtillabitur. Tunc ſume ſpiritum hunc ſale Ammoniaco ſic acuatum, & pone in calore ſtercoris equini, aut balnei vaporoſi ad circulandum, ad minimum, octo vel novem hebdomadas: tunc ſi percipias in vitri fundo ſedimentum, ſimile ſani hominis urinario ſedimento, & liquorem cuilibet cryſtallo puritate parem, diligenter decanta vel alio quocunque modo ſepara purum liquorem à ſedimento, accuratiſſimè obſtrue, & in loco frigido conſerva.

Hæc eſt noſtra *Aqua Vitæ*, *Aqua Dianæ*, aut *Argenti vivi Aqua*, per quam radicalem metallorum & ſpeciatim auri ſolutionem hoc modo perficimus. Cape bonam auri, more Lulliano præparati, calcem, & diſſolve in hac aqua vitæ; tunc aliquantiſper ea digere, ac poſtea Aquam vitæ ab ea deſtilla, & repetitis ſpiritûs affuſionibus & digeſtioni-

nibus, & deſtillationibus, aurum omne cum ſpiritu fac aſcendere; quod eſt verum Aurum potabile, magna metallorum hominúmque Medicina, quódque altius medicamentum fieri poſſit, aurum ſolutum in verum oleum reducendo: hoc efficias detrahendo diſſolvens, donec ad olei conſiſtentiam perveniat, quod auro puro multò eſt pretioſius. Cum hoc Medicamento (ne plura de eo proferam) celebris Raimundus Lullius juvenilem vigorem, cùm decrepitus eſſet, mortíque proximus, ſibi reſtituebat: cui (præter multa authentica Regiſtra) Veſtras Ripleius teſtimonium affert.

Et ſic (Amice mi doctiſſime) noſtram pulchram Dianam in balneo tibi monſtravi, ità tamen (ùt modeſtum decebat Philoſophum) ſuper hanc velum projeci, ne in totum appareret nuda res: tamen eo modo Tibi explicui, ut nihil deeſſe videatur, quod te ſecreti noſtri Dominum faciat, præter ignis noſtri perfectam cognitionem & regimen.

De Secreto Philoſophorum Igne.

§. Hoc ſicut altiſſimum eſt Naturæ myſterium, ità maximum eſt Philoſopho-

rum ſecretum; Peripatheticorum *Ignis aridus* eſt, Chymicorum verò *humidus*; vulgus igne culinario calcinat uritque; nos claro & cryſtallino liquore: noſter enim Ignis eſt Aqua ſulphurea, vel ſpirituale ſulphuris ſemen, quod noſtro ineſt Mercurio. Nempe *Mercurialis humor eſt Ignis noſtri materia, ſicut oleum, quod in lampade accenditur eſt luminis materies; & à tali materia noſter Ignis augetur.* Nihil tam tenebroſum & obſcurum eſt quàm noſter Ignis; & nihil magis in occulto latet, quàm modus eum ordinandi & gubernandi.

Pontanus, poſtquam veram materiam (ùt ipſe profitetur) cognovit, pluſquam ducenties erravit, priùſquàm opus hoc perficere poſſet, quia hunc Ignem ignorabat; ſcientia ejus adeò neceſſaria eſt, & in ſe ità ſufficiens, ut, cùm filiorum artis ſocietas aliquando conveniſſet, ut de magno opere ex conſulto diſceptarent, & quid unuſquiſque de eo cognoverat, manifeſtarent; poſt varias opiniones in medium prolatas, & hinc inde agitatas, totius Conventûs natu minimus interrogatus, quid de eo cognoverit myſterio, reſpondit, quòd Ignem & regimen ejus intellexerit: quo audito aſſurrexerunt omnes, eique præemi-

nen-

nentiam conceſſerunt, tanquam magni hujus ſecreti Domino: facilè enim præſtare poteſt omnia, qui illum novit, & ſine illius cognitione nil perfici queat.

Quæ ſi ità ſint, mihi replicare poſſis, quòd nullam Tibi ſatisfactionem præbuerim per ullam lineam, quam hactenus ad Te ſcripſi: at (chare mi Amice) ea, quæ dixi, nihilominùs ad deſideratum finem magnopere conducunt. Quiſquis enim in aliis rebus probè excultus, & huc uſque inſtructus eſt, ſecreti hujus Ignis inveſtigationi benè adaptatur, quem probabiliter aſſequetur, ſi modò inquiſitionem continuet, illíque Deus benedicere dignetur.

Fatendum eſt mihi, quòd efficaciter parùm adhuc ſcripſi, niſi quæ priùs noviſſe videaris; utcunque magno Tibi erit ſolamini, quòd ea, quæ ſcripſi, tuas confirment notiones, & in Te fiduciam pariant, quantò ſimiliùs Philoſopho, quàm Pſittaco loquaris: ideóque non poteſt non incitamentum fieri ad incepta Veſtra & progreſſus promovendos: quibus eventum feliciſſimum animitùs opto, quia Te virum valde idoneum autumo, qui Adeptus efficiaris: ſeriòque profiteor, ſi ea mihi fortuna contigiſſet, ut à Patrono meo talis libertas conceſſa

fuiſſet, quâ multi fruuntur Adepti, totum Tibi ſecretum propalarem.

Attamen (Bone mi Amice) huc uſque ſermonis libertate utar, ut eloquar, quòd ſi abſque tremendo anathemate magnum Tibi Philoſophorum arcanum aperire poſſem, ſcilicet eorum ſecretum Ignem, aliquantulùm dubito, utrùm hoc pacto majoris tuæ felicitatis inſtrumentum apparerem. Notatu digna eſt illa præcipui Eccleſiæ Patris ſententia, *Multa Deus negat propitius, quæ concedit iratus*; plurima enim Infiniti Numinis Chariſteria pœnæ magis fiunt, quàm beneficia. Digniſſime mi Amice, cordatè precor, ne, ſi magnum illud Opus aggrediaris & perficias, hoc de Te ſit propheticum, conſideratis quæ Te comitantur, circumſtantiis: Idcirco Te præmonitum velim, ut, quandocunque Deus Hermeticæ Sapientiæ Te Dominum faciet, illam circa Medicinam & Philoſophiam, non autem Chryſopœiam exerceas.

Noſtra Quinteſſentia (quatenus magnum eſt Medicamentum, ſi cum prudentia tractatur) ſufficientes Tibi comparabit opes cum ſecuritate & gloria; & in quantum eximiè Philoſophiæ ſubſervit, ingenioſæ Mentis Tuæ curioſitati plenè ſatisfaciet, cujus facultates mirè

rè clariores & illuſtriores uſu ejus ſagaces fient. Nec non corporis perfecta ſanitas vigórque conſervabitur; per quæ felicitatem tantam participabis, quantæ in hac vita capax eſt mortalis.

Profectò (Domine) hujus Elixiris poteſtas tanta eſt, (cùm ad eam ſublimitatem, ad quam ſecretæ Chymiæ arte reduci poſſit, attollitur) & non ſolùm in tribus Mineralium, Vegetantium atque Animalium familiis, ſed in toto Naturæ regno tam mirabilis, ut ſinè ulla potentiæ ad tranſmutanda viliora metalla in aurum conſideratione. Veſtram panegyricam facundiam (quam nulla alia ſcientia vel ars, quantum ſcio, tam benè meretur) apprimè mereri poſſit; Et colores iſtos oratorios, quibus illud elegans tuus decoravit calamus, decenter geſtet. Adeò ut mirari non poſſim, tot in omni ævo Sapientes & Ingenioſos, tam diutina ſtudia & tam ingentes impenſas pro eo elocâſſe; licèt non potuerint non magnas rei difficultates, & multa eventûs adverſi exempla coram oculis habere. Nec ejus rei aviditatem tuam improbare valeo, quæ Philoſophos Adeptos tam divites, tam grandes, tam bonos, tam beatos efficit: è contra valde prudentiam tuam laudo, quòd probè inſtrui curas, quomodo ad ſcopum ſeu metam pertingas, priùſquàm carceribus egrediaris.

Quoad pravas Mercurii noſtri qualitates. Inſtitutionum ſchedulam, quomodo noxas, quæ multis in prima ejus præparatione contingunt, evitare queas, poſthac accipies. Multæ quidem ſunt, & aliquando valde luctuoſæ; ùt dolores capitiſque gravedines, Paralyſes, Lipothymiæ, viſûs & quandoque aliorum ſenſuum amiſſiones, ſubitæ raucedines, Tuſſes, violenti Catarrhi, Phthiſes, Pulmonum ulcera, torpores & membrorum dolores, & generatim tales ſanguinis coagulationes, quæ neceſſariò plurimarum erunt ægritudinum cauſæ, quas Tu optimè enumerare vales. Quamvis enim noſter Mercurius rebus extrahatur, quæ non minùs familiares & tutæ ſunt quàm panis & vinum, & poſt debitam præparationem ſit naturæ noſtræ amiciſſima res, & totius orbis maximè ſalutaris; in prævviis tamen præparationibus valde noxius eſt. Quòd ità ſit, probè novi, ſed ob quam rationem à Te vellem diſcere, cujus acutum ingenium altiſſimas naturæ profunditates penetrare, & reconditiſſimorum effectuum cauſas explicare poteſt.

Eò importuniùs à Te hanc inſtructionem flagito, propter novam tuam & ingenioſam de pinguedinis natura excogitationem: habebis me magnopere Ti-

Tibi devinctum, ſi tuos de illo argumento conceptus aliquantulùm copioſiores mihi mittas, nec non de natura ſanguinis: guſtus, quem de iis antea præbuiſti, me certum facit, quòd erunt mihi perquam grati, & ſatisfactionem abundanter afferent amicis meis, *qui ſunt bonarum indolum ſocietas*, & qui jamdudum ingentem de Te opinionem conceperunt, à præſtante idea optimi, ingenioſiſſimi, doctiſſimíque Hominis, qualem Te ipſum illis Literæ tuæ exhibuerunt.

Quæ quidem accuratiſſimæ literæ cum annexis chartulis adeò Univerſalis *Mercurii originem* explicuerunt, *veræ quidem Philoſophiæ baſin*; & conditiones in eo requiſitas, qui ſeipſum huic Philoſophiæ applicare vellet, tam benè expoſuerunt, & cautiones ac directiones ità ſagaces in Scriptorum Philoſophicorum lectione dederunt, ut artis hujus ſtudioſis magno futuræ ſint emolumento. Præterea Chemiam exiſtimationi hominum vindicant. *Primò* oſtendendo, quòd ejus conatus non ſunt irrationales, nec effectus accidentales, incerti aut ſophiſtici; ſed quòd operationes ejus ſunt naturæ operationibus exactè conformes, cujus ductum ſequitur, donec illam languidam & deficientem

tem inveniat, ac deinde excellat eam & tranſcendat. *Secundò* demonſtrando ſubjecti ejus vel materiæ ſublimitatem, & per inductionem evidentem & illationem probando, in quo & quibus modis iſta materia fiat rebus aliis ità tranſcendenter ſubtilior & efficacior. *Tertiò* amovendo iſtum contemptûs & obloquii fimum, quem docti æquè ac indocti, malevolíque in eam conjecerunt: quod præſtas egregiè, tranſferendo culpam partim in Medicos aliquos nimiùm faſtidioſos & ignavos (quorum ignorantia nimis antiqua eſt, & oſtentatio arrogantior, quàm ut docendi ſint) ínque alios plùs juſtò credulos, temeróſque Chemiſtas, qui pulchram Dominam, quam ambiebant, tandem oderunt, quia eorum indignos ambitus noluit admittere; aut in nonnullos inopes, ſemidoctos, & glorioſè jactabundos deſtillatores. Hi enim omnes, aut malignè, aut inopinanter, ad infamiam hujus excellentiſſimæ & in orbe toto utiliſſimæ Scientiæ contribuerunt.

Tua verò epiſtola, quoad prædictas notiones, ipſam tam luculentâ ratione, ingenio & phantaſiâ tam fæcundâ, & omnigenæ literaturæ ſtricturis vindicavit, ut mihi nunquam inter ſcripta Chy-

Chymica adhuc occurrerit aliquid, quod lectorem ſtudioſum tantopere alliciat & delectet: ideóque, Te importunè rogo, ut illam, quàmprimùm poteris, prælo committendam procures. Quoad tuarum cogitationum amplificationem de *Pinguedinis & Sanguinis natura*, quæſo mittas eam ad me, quando Tibi otium erit, haud cum Majore feſtinatione, quàm quæ negotiis tuis optimè congruat. *Parabolam Philoſophicam* vel *Romanicam*, vocatam *Iter Philaleti ad montem Mercurii*, quæ cum doctiſſima tua Epiſtola ad me venit, magna cum delectatione perlegi: ingenioſiſſima eſt deſignatio, & propoſitum ejus ſequentibus verbis à Te pulcherrimè exprimitur. *Nam quia magna pars hominum pro ſeculi noſtri genio nullum ferè dicendi docendive genus admittit, niſi quod titillat animos, ac in ipſos cum ſuavitate affluit & illabitur, ea mihi ratio fuit res graves ac phyſicas ad hunc modum tractandi, ut per ludicra ſeriis, per fictitia veris gratiam faciliùs conciliarem; & ut ſtudioſos Sapientiæ per res notas atque familiares, ac in ſenſus noſtros prompte jucundéque ſe inſinuantes, ad reconditiora Naturæ myſteria comiter introducerem: adéóque forſan eos ipſos* (qui jam à recitato Chymici libelli titulo tan-

tanquam à mormolycæo vel ſpectro quodam viſo reſiliunt, aut poſt lectas quaſdam pagellas, durâ tetricoſâque dictione forſan & anigmaticâ plenas, omnia deinceps ſcripta tanquam incantamenta reſpuunt) poſthac in amorem Chymiæ novo quodam lenocinio pellicerem, tandémque veræ Philoſophiæ nec opinantes proderem. Non apponitur Authoris nomen, hanc autem periodum Tibi attribuendam auguror, quia tota Dickinſonum ſapit : proculdubio lectorem ſtudio Philoſophiæ deditum delectabit & hoſpitabitur ; adeóque eundem effectum (utî credo) in naturalis ſcientiæ candidatos aſſequetur, ad quem collimas ; nempe Chemiæ veræque Philoſophiæ incrementum.

Sed, ut redeam ad Mercurium, à quo longâ excurſione receſſi, cùm prima ejus præparatio valde obſcura, moleſta & periculoſa ſit, ideò multi recentiorum temporum Philoſophi ad alios operandi modos ſe applicuerunt: Quidam ad faciendum ſinè Elementorum ſeparatione Mercurium : aliqui Mercurium ſuum ex auro communi & vulgari Mercurio præparârunt ; ex quibus etiam illi, qui nôrunt iſta corpora putrefacere, magnum conficiunt opus, iis licèt multò inferius, quæ per no-

noſtrum generaliorem Mercurium fieri poſſunt. Et per ſulphur terræ cujuſdam benè electæ, Mercurius vulgaris, ſed purus & virgineus, ità animari poteſt, ut valeat aurum diſſolvere promptè & radicaliter ſinè ullo calore. Quibus ità unitis, nihil deeſt præter Philoſophicam coctionem, ut Elixyr fiant & perfecta Tinctura. Tua diviſio variorum modorum, quibus Philoſophi ſuum Mercurium fecerunt, in quatuor genera, ingenioſa eſt & nova, imò, ſi cum aliquibus *Philoſophici ſalis* granis (juxta veſtram loquendi formulam) intelligatur, ſufficienter vera; de quibus *cæleſtis modus* à quibuſdam antiquioribus, nec non recentioribus excultus fuit, qui modus valde ſecurus eſt, & inſignes producit effectus: non obſtantibus tamen præparationis fœtore & periculo, Philoſophi generatim Mercurios ſuos ex *Aërei* & *aquoſi generis materia* fecerunt; quoniam illi à Medea benè inſtituti artem evitandi calamitates *Draconis Mercurii* cognoverunt; ac etiam quia Elixyr ex iis materiis confectum potentiſſimam & generaliſſimam hominum medicinam præbet.

De Medicamento Univerſali.

9. Quod tale ſit Pharmacum, Adepti Philoſophi probè ſciunt experientiâ, ideóque juſtam cauſam habent ejuſdem aſſerendi veritatem: At quare talis res æſtimetur poſſibilis, & quomodo tantos, tam generales & contrarios effectus proferat, ſagaces & manifeſtas rationes attuliſti; quales acutum Phyſiologum deceant, & ab omnibus fidem, præter eos, qui nihilo extra vulgarem Naturæ ſemitam ſinè demonſtratione conſentient, mereantur. Hoc tamen liberè loquar, quòd, etſi rationes tuæ, ab intrinſeca magnæ Philoſophorum Panaceæ natura ductæ, quæſtionem præſtantiſſimè ſolvunt, remanet tamen extrinſecum argumentum ab ipſorum Philoſophorum exitio ſumptum, conſideratione noſtrâ indigens, & appoſitâ reſponſione dignum.

Quæſtio enim eſt, *quare veteres Adepti Philoſophi non ſint adhuc in vivis robuſti & juveniles, & quare ulli poſt eos Adepti ægrotârint & interierint non minùs præmaturè quàm cæteri mortales, ſi modò nacti ſint Medicamentum, quod omnes morbos ſanare, quódque*

que calidum & humidum radicale ſervare ac reſtaurare poſſit? Non eſt difficilis reſponſio, quoniam certum eſt, quòd datur determinatus vitæ terminus ab Omnipotente præfixus, ultra quem nullius artis adjumentum cujuslibet ætatem extendere queat. *Jobus* hanc Tibi veritatem aſſeruit, dicens capite decimo quarto, verſu quinto, *determinati ſunt dies ejus, numerus menſium ejus penès te eſt; limites ejus aſſignâſti, quos non tranſgrediatur*: adeò ut, quamvis iſthæc Panacea ſanitatem & vigorem juvenilem reſtituere, & in magno gradu uſque ad finem conſervare valeat, interea tamen noſtrorum dierum prædeterminatum finem prorogare nequit. Neque brevis vita & ægritudo Adeptorum in hujus medicaminis dedecus cedere debent, quia pro certo habetur, quòd multi Elixiris pro metallo poſſeſſores, non erant Elixiris pro medicamine Magiſtri; non enim ſunt una eademque res; ſaltem non ità ſunt perpetuò. Præterea multi utriuſque Elixiris Domini illo ad Medicinam idoneo uti noluerunt, iſtam vitam prolongare minimè deſiderantes, quæ ipſos à multò melioris fruitione detinebat: nam plena magni hujus Naturæ myſte-

ſterii ſcientia illos tam mirâ Deitatis intelligentiâ imbuit, iiſque tam vivam futuræ & æternæ vitæ imaginem refert, ut non poſſint vel minima ex parte de eadem dubitare; eáque de cauſa ad pias vitas agendas inducuntur, & ad Creatorem fervido zelo adorandum, adeóque diſſolvi cupiunt quandocunque Deo placuerit, ut iſtâ beatúdine potiantur; quæ animorum oculis tam clarè præſens eſt, quàm in ſpeculo facies apparet. His addo, quòd multi Adepti qui in ætate media numerati erant inter mortuos, diutiſſimè poſtea ſuperfuerunt; illi enim, ut moleſtias & diſcrimina vitarent, quæ tales comitantur, quos alii vel agnoſcunt, aut vehementer ſuſpicantur eſſe miri hujus ſecreti poſſeſſores, ab una regione in aliam peregrinati ſunt, & nomina permutârunt; adeóque ad limitem ab Omnipotentis decreto prædeterminatum liberè & ſecurè vixerunt.

Summatim igitur, illi, qui medicaminis hujus naturam intelligunt, & periculum ejus fecerunt, ac mirabiles effectus viderunt, hoc Elogium negare non poſſunt, quòd naturalem potentiam habet omnes ſanandi ægritudines; (& hæc ſanè multò altior laus eſt,

eſt, quàm quæ juſtè tribui poſſit optimis remediis Galenicis, nugis iſtis, quæ in cauſa ſunt, cur totidem morbi æſtimantur immedicabiles) & quòd caliditatem & humiditatem primigeniam reſtituere; atque ità languidorum corporum vigorem renovare valet. Denique quòd medium eſt à Deo deſtinatum ad eorum Salutem & vigorem extendendum ultrà commuuem Naturæ conſuetudinem, quibus longam annorum ſeriem dignatus eſt concedere. Hujus medicamenti ope *Artephius* pluſquam mille annos vixit, & *Patriarchæ* olim valde longævi fuerunt.

De Patriarcharum longævitate.

10. Etſi Sacra Scriptura eorum longævitatis cauſam ſilentio condidit, Traditio tamen, quæ inter nos viget, eam non tacuit: ac non ab ea ſola, ſed etiam ab illatione rationali concludimus, quòd magnum hoc & Univerſale remedium erat unicum iſtius longævitatis inſtrumentum, & quòd tanta longævitas non erat omnibus antediluvianis communis, ſed Patriarchis tantùm, & fortaſſe

paucis aliis. Si longa vita Patriarchis ſolùm fuiſſet indulta *multiplicationis gratiâ*, ut hoc pacto Mundus citiùs incolis impleretur, neceſſarium videretur, ut alii non minùs quàm Patriarchæ (quoniam pauci fuerunt) fuiſſent longævi, verùm quòd longævitas ad hunc finem non fuerit iis conceſſa, rationaliter inde infertur, quòd eorum ſinguli multos annos conſumpſerunt, (utî *Adamus* ultrà centum, alii ultrà centum & octoginta) priuſquàm filios genuerint, cùm tamen, ante tot annorum terminos, ſufficientem liberorum numerum generare potuiſſent, ad multas regiones incolendas.

Ergò Dei Providentia ob alias rationes potiùs videtur tam longas vitas Patriarchis dediſſe. Primò ut eò meliùs artes & ſcientias propagarent, quarum aliquæ, prout Aſtronomia, ſinè obſervationibus per annorum quorundam centurias perfici non poterant. Secundò ut creatio, Hominis lapſus, Judicium Dei adverſus

versus eum, & spes Redemptionis faciliùs & fideliùs Posteris usque ad Noachum derivari possent, non tantummodò traditione, quæ errori & corruptioni obnoxia est sed ejus vivâ voce, qui rerum testis oculatus & auritus fuisset, aut testimonio & doctrinâ quorundam ejus natorum, qui eas ab illius ore immediatè accepissent. Hæ maximè probabiliter causæ fuerunt principales Patriarcharum longævitatis; quare non necesse fuit, ut illa generalis esset cunctis ante Diluvium degentibus, cùm sufficeret, si pauci aliquot sinceri & serii Demagogi tam diutinas vitas agerent, qui *à propriis Adami labris* sinè traditionis erroribus *Noæhum* ejúsque filios instruere possent, qui futuri erant tam Doctores quàm Patres seculorum omnium postdiluvianorum. Hinc est, cur tantam fidem Traditionibus nostris adhibere ausim, ut credam, quòd solummodò Patriarchæ vel pauci alii adeò fuerint longævi. Quòd verò hæc longævitas illis grandis illius

mysterii Naturæ beneficio, (scilicet Universalis Medicamenti) conciliata fuerit, sequentes rationes solertis argumenti vi evincere videntur.

Patriarchæ, illi totius orbis Atavi, proculdubiò Naturam optimè intellexerunt, ideóque rationalis est inductio, quòd illi, (saltem Adamus, qui certò certiùs Naturam perfectè callebat) præcipuam ejus partem ignorare non potuerint, hoc est, istam puram essentiam, à qua unumquodque concretum existentiam & operationem suam accipit; ac unde Sophi magnum suum medicamentum sumunt: & est admodum probabile, quòd non tantùm sciverint talis puritatis matèriam in creatorum singulorum medio existere, verùm etiam quàm mirâ prædita esset potentiâ ad vitam conservandam, cùm ab omni crassitudine & fæculentia separatur. Quapropter maximè credibile est, quòd Omnipotens (qui tantam purissimæ materiæ parti virtutem tribuit, quæ ad conservanda & re-

& reſtituenda vitæ radicalia principia potens eſſet, & qui à prima uſque creatione naturalia nobis beneficia per media naturalia diſtribuit) hanc puram & efficacem materiæ partem, continuandæ ſalutis & vigoris per tam longam aunorum ſeriem inſtrumentum ſolitarium, dignatus ſit efficere, videlicet ad fines illos, quos ipſe deſtinaverat, nimirùm ut ἀρχανθρωπῶν horum ſcientiam phyſicam, completâ poteſtatis & effectuum hujus puræ materiæ intelligentiâ, nec non methodo efficiendi eam tam mirabiliter efficacem coronaret.

Veruntamen concludere non debemus, quòd omnes Patriarchæ in pari hujus rei ſcientia ſint ponendi; aut quòd eam æqualiter ſublimaverint, ſeu ad ſummum perfectionis gradum, cujus illa fuit capax, ſublimare potuerint; vel quòd ſinguli illam ad eoſdem uſus ac fines applicuerint; *Enochus* enim eminentiſſimâ cœleſtis hujus materiæ ſcientiâ præditus erat, illam verò non tam

ad Chryſopœiam, quàm *ad intellectum ſuum illuminandum*, & *reddendum ſupernaturalium & divinarum rerum capaciorem*, *atque elevandas cogitationes ſuas & vota ſuprà Mundanorum fruitionem exercebat.*

Chamus autem magni hujus myſterii cognitionem præcipuè, ſi non penitùs, *ad aurificium flectebat*, & in eo opere pueros ſuos inſtituebat, à quibus in *Ægypto*, *Arabia Libyaque* in hunc diem *propagatum eſt*. *Enochus* in ſeculis poſterioribus *Hermetis* nomine cognoſcebatur, & primus erat *trium* ità *nominatorum*, quædámque Divinæ ſuæ Scientiæ monimenta poſteris reliquit. *A Chamo hæc* Scientia ſic inter *Ægyptios* derivata & diſperſa fuit, ut tota Regio ab illo nomen ſumpſerit, imò Ars ipſa ab eo *Chemia quaſi Chamia* nuncupata fuerit; adeò ut diverſarum circumcirca gentium ſtudioſi Ægyptum adirent, ut in hujus & aliarum ſcientiarum myſteriis inſtituerentur. *Moſes* & *Salomon* hanc Artem ab illa natione obtinebant;

bant; heic *Orpheus*, *Empedocles*, *Democritus*, *Orus*, *Plato*, *Pythagoras*, *Heſiodus*, *Homerus*, *Oſthanes Medus*, & *Morienus Romanus* hujus magni myſterii cognitionem acquirebant.

Hic autem ſermo à negotio meo alienus eſt, cui incumbebat reſponſum reddere, quibus modis Patriarcharum vitæ tam diu fuerint continuatæ, quod equidem pro poſſe meo peregi: ac ſi præcipuis tuis quæſtionibus plenam ſatisfactionem non præſtiti, quæſo pro candore tuo & charitate credas, hoc oriri vel ex intelligentiæ vel *libertatis* meæ *defectu*; & nequaquam dubites, quin ipſe ſim non ſolùm magnus Tuî admirator, ſed etiam ſincerè amantiſſimus tuus Amicus, & humillimus Cliens.

THEODORUS MUNDANUS.

FINIS.

7 DEC 0